




X 450



Catalogus sequentium  
Disputationum.

1. M. Wideburgij de recta disputandi ratione Disputatio.
2. M. Frolingij de Eximio Logices Usu.
3. Ejusdem de Saltu in aliud Genus.
4. M. Wideburgij de primis et communissimis humanae cognitionis principiis.
5. M. Hayemans de Enunciatione indefinita et singulari.
6. M. à Broeke de Accidente predicamentali.
7. M. Kobij de Predicamento qualitatis.
8. Ejusdem de questione: An Substantia Substantia sit contraria?
9. M. Wideburgij de recta dubitandi ratione.
10. Ejusdem de Syllogismo.
11. Ejusdem de Inductione.
12. M. Lauterbachs de Oppositione Exclusionarum.
13. Joh. Eisenharts Decas Aphorismorum Philosophicorum.
14. M. Niemceiui duo Programmata de Philosophia.
15. M. Crellij de Potentiâ obedientiali.
16. M. Ripneri de Naturâ et constitutione Metaphysicæ, 20 Disputat.
17. Ejusdem Collegium Metaphysicum 24 Disputationibus constans.
18. M. Niemceiui de Distinctionum Modis Disputatio prior et posterior.
19. D. à Felden de potissimo Scientiæ principio I. de Definitione.
20. M. Ripneri de Essentia et Existentiâ.
21. Ejusdem de Concursu causæ primæ cum secundis.
22. Ejusdem de præcipuis inter causam physicam et moralem differentiis.
23. Ejusdem de Ignibus subterraneis.
24. de Ratione formali Dei nostro cognoscendi modo, Ripneri Disput.
25. Ejusdem de Causa sine qua, ~~...~~
26. Ejusdem de Persona. (Universi.)
27. M. Wideburgij de Operationibus Dei, Intellectione, ac Gubernatione hujus
28. M. Hündshagen de Scientia Dei liberâ, seu visionis.
29. M. Schwartzen de Uno, et seorsim de Unitate Dei Disputatio.
30. M. Herimphusij de Agentibus propter finem.
31. M. Hündshagen de Exhibitivis Enunciationibus.
32. M. Velthem de Ordu principiorum in mente humanâ.
33. M. Trümphij de Habitu.
34. M. Kleffelij de Naturâ et constitutione Physicæ.
35. M. Eccardi de Creatione.
36. Ripneri de questione, An Aristoteles cognoverit Creationem?

37.  
38.  
39.  
40.  
41.  
42.  
43.  
44.  
45.  
46.  
47.  
48.  
49.  
50.  
51.  
52.  
53.  
54.  
55.  
56.  
57.  
58.  
59.  
60.  
61.  
62.  
63.  
64.  
65.  
66.


37. M. Frölingij Disputatio Physica de Elementis.
38. M. Vozelej de Numero Elementorum.
39. M. Ripneri de Anima rationali.
40. M. Frölingij de Meteoris ignitis.
41. M. Sepelij de Ventis.
42. M. Bunonis de Origine fontium.
43. D. Schraderi Disput. de habitaculis animantium.
44. M. Schmidten Disput. de Casco, ut est alimentum.
45. Lic. Cellarij de viventibus sponte nascentibus.
46. M. Niemeieri de Enthymemate.
47. M. Widebörigij de Summo hominis Bono theoretico.
48. M. Niemeieri de Virtute morali in genere theser.
49. Eiusdem de mediocritate Rationis in virtute morali observandâ.
50. M. Vffelmanni de Virtute Heroicâ.
51. Eiusdem de Rectâ Ratione.
52. M. Hundshagen de Veritate.
53. Com. Hornei de Prudentia judiciariâ, et deliberativâ, s. Senatoriâ.
54. M. Emhadi de Pietate, s. Debito liberorum adversus Parentes in communi.
55. M. Niemeieri Disputatio prior et posterior de Stoicorum Vita & Vita.
56. M. Dürij de Pulchra Affectuum et Rationis.
57. M. Vffelmanni de Gradibus lesionum.
58. M. Frölingij de Invito et Spontaneo.
59. M. Alti Disputatio de Amicitia.
60. M. Schmidtij de Amicitia.
61. M. Seyppelij de Communione Bonorum in actu signato.
62. Eiusdem de Bonorum Communionis Actus exercitio.
63. D. Sam. Andrea de Juramentis quæstiones Miscellaneæ.
64. M. Heigelij Propositiones selectæ ex Geometriâ, Astronomiâ et Cosmographiâ.
65. Schulzius de Poëtis.
66. D. Kobiur de Ordine doctrine.

ipys.

tatt.

ius





*Q. D. B. V.*

De

ACCIDEN-  
TE PRÆDICA-  
MENTALI

INDULTU AMPLISSIMI SENA-  
TUS PHILOSOPHICI

In Illustri Academiâ Jenensi

*publicè disputabunt*

M. HENRICUS MATTHIAS

à Broke /

Præses

&

ANDREAS MATTHIÆ, Oscaniensis

Respondens.

*Ad diem Maji*

H. L. Q. C.

X 150 (6)

---

J E N A E,

Typis JOHANNIS VVERTHERI,

M. DC. LXIX.



VIRO

*Nobilissimo, Amplissimo & Consultissimo*

**DN. IOACHIMO  
HANSES,**

**Hereditario in Hadmersleben & Barle-  
ben/ Reverendissimi & Illustris Capituli Metropolitanæ  
Magdeburgensis Ecclesiæ Archipræfecto Hadmerslebii.  
& Atenslebii meritissimo**

*Domino Matruei suo Parentis loco æternum  
Venerando*

**Hujus dissertationis Academicæ inscriptione animum be-  
neficiorum vix à Parente sperandorum perpetuò  
memorem declarare.**

*voluit debuit*

**M. HENRICUS MATTHIAS à Brose.**





I. N. 7.



Quantus doctrinae de *Accidente* in superioribus disciplinis sit usus, nemini, qui vel fugiente oculo eas inspexerit, poterit esse incognitum. Etenim (ne dicam de ceteris) quid frequentius in Theologorum Scholis disputando agitur, quam num. aliquod in summum illud Numen cadat accidens? num in Eucharistiae Sacramento sublata panis substantia accidentia ejus remaneant? & plura alia, quae longum foret enarrare. In quibus sane aqua tibi haerebit, nisi Accidentis naturam accuratè habueris perspectam & cognitam. Id quod optimè observavit Pl. Reverendus Dn. Dürrius in notis ad *Isagogen Piccarti* (a) quantum, inquit, (a) c. 12. negotii dederint confusiones terminorum Substantiae & §. 13. Accidentis, ac similium, etiam primi illi, qui superiori Se- culo Ecclesiam à servitute Pontificiâ asseruerunt, Doctores, frequenter sunt experti, quorum querelas passim deprehendere licet in *Dodecade Script. Theol. Norib. editorum*. Hâc igitur insigni hujus doctrinae permotus utilitate, pro exiguis ingenii viribus, quasdam de natura Accidentis conscripsi theses, quas nunc Tuo, Benevole Lector, sisto iudicio; quae si quid habent in quo cespitasse me putabis, memento quaeso illius Lipsiani: (b) (b) *praf. Quemadmodum in ludo pila alterius est commodè mittere, in Polit. alterius si quid erratum est, bellissimè excipere & arte corrigere: sic aequi lectoris est flectere quadam in partem benigniorem.*

A 2

§. 1.



(c) l. 2.  
Met. c. 6.  
Met. 1. §. 6.  
(d) Met.  
part. 5.  
Met. 2.  
6. 2.

**A**ccidens nonnullis, inter quos est Scheiblerus (c) dicitur quasi *Ad cadens* quod sc. cadat ad Subiectum vel Substantiam. Alii, inter quos est Franciscus Abra de Raconis, (d) accidentis natales ab *accedendo* deducunt, quibus Accidens dicitur quasi *alicui rei accedens*, ut albedo parietis. Sed hæc Grammaticis relinquimus dijudicanda.

§. 2. Philosophus cum Græcis Accidens vocare consuevit *συμβεβηκός* à congruediendo, quod cum Subiecto quasi congruediatur, cumque eo unum per accidens constituat.

§. 3. Cæterum Accidentis vox ex eorum est numero, quæ *πολλαχῶς λεγόμενα* Græcis dicuntur, nec uno modo sumitur. (1) Accidens dici solet *τὸ ἐνδεχόμενον* sc. *contingens*, quod fortunâ vel casu evenit, ita voce accidentis utitur ipse Philosophus, quando l. 5. Met. c. 30. dicit: Accidens esse fodiendi fossam thesaurum invenire. Similiter l. 6. Met. c. 2.

*Quodcumque, ait, non semper neque ut plurimum est, hoc dicimus accidens, utpote si sub Cane tempestas & frigus factum fuerit, hoc dicimus accidisse.* Huc referri potest, quod ab Aristotele in *Physicis* fortuna & Casus dicuntur cau-

(e) 2. Phys.  
l. 49. §. 2.  
57.

sæ per accidens (e). Et sic opponitur *necessario*. (2) Accidens solet opponi *τῷ essentiali*, & sumi pro omni eo, quod extra essentiam rei est, sive sit *essentiale consecutivum* & prædicatum in secundo modo per se, vel, (ut alii loquuntur,) sine quo essentia rei non potest esse salva, sive ita se habeat, ut planè abesse possit à suo subiecto. Unde illud notum; *Demonstrationem esse accidentium.* Ubi sanè per accidentia oportet intelligere proprias rerum affectiones. Communium quippe accidentium nulla est scientia, nec proinde demonstratio.

(f) Sy.  
stem. Log.  
l. 1. c. 21.

(3) Keckermannus (f) observat accidens interdum sumi pro *non-ente & nudâ entis apparentia*, putatque h. m. Aristoteli & Platoni Sophistas dici versari circa accidens l. Post. c. 2. §. 1. Sed si verum fatendum, vix eo loco ea obtinet significatio. Si enim ipsa verba l. c. inspiciantur, apparebit, Philosophum inibi *τὸ συμβεβηκός* opponere *necessario*. Definit enim verum sciendi modum, quod sit *quando causam*

*cogno-*

cognoscimus, propter quam res est, ejus rei causam esse, nec posse rem aliter se habere, huic opponit alium non simpliciter sciendi modum, nempe σοφιστικὸν τὸν καὶ συμβεβηκὸς i. e. qui fit per accidens ex contingentibus, quæ aliter se habere possunt, sive quo Sophista gloriantur, quando nimirum per accidentia res cognitæ habuerint, uti Schegkiius (g) explicat. Sohnerus in comment. (g) l. 2. M.S.S. ad h. l. (quem ab Excellentissimo Domino Posnero, Patrono & Præceptore nostro, cujus perpetua apud nos erit veneratio, accepimus) putat Aristotelem Sophisticam h. l. totam Dialecticam appellare, quæ cum conclusionis causam habeat non rei, nisi per accidens, dicatur per accidens parere cognitionem. Quam sententiam hausisse videtur ex Philopono (h) Is enim prius ostendit dari Syllogismos, qui nec sint strictè Sophistici, nec scientifici, vera tamen ex verisimilibus astruant. Postea verò, cum ex accidentibus Sophistici fiant Syllogismi (Sophista enim, ait, argumentando fallentes ea, quæ accidentibus insunt, etiam subjectis inesse dixerunt, & vice versa quæ subjectis insunt etiam accidentibus inesse) & alii quoque Syllogismi ex iis, quæ non per se rebus insunt, probant, sed quæ per accidens insunt, & quidem probabilia sunt signa, sed non omnino dictorum sunt causæ, hinc subjungit: Ἀλλὰ τὸ τὸν ἔν τὸν τρόπον κοινῶς πάντας τὰς ἀπὸ τὸν ἀποδεικτικὸν συλλογισμὸν, σοφιστικὸς ἐκάλεσεν i. e. Propter hunc igitur modum, omnes, qui sunt præter Demonstrativum Syllogismum, Sophisticos appellarunt. Si igitur juxta hanc interpretationem, modus sciendi per accidens est tam ille, quo utuntur Dialectici, quàm quo Sophistæ, non apparet, quomodo ulla ratione colligi possit, Philosophum voce accidentis uti pro non-Ente. Videtur autem Keckermanno ita statuendi ansam præbuisse locus l. 6. Met. c. 2. ubi Philosophus refert, Platonem non male constituisse Sophisticam circa non-ens versari, quia Sophistarum rationes circa accidens maxime omnium sint, quoniam accidens videatur propinquum esse non-Enti. Verùm si accuratiori oculo Aristotelicum inspicias textum, facilè intelliges, Platonem non voce accidentis pro non-ente, sed potius voce non-entis pro accidente

(g) l. 2.  
Demonst.  
p. m. 35.

(h) Com.  
ad h. l.

usum esse. Plato enim dicit Sophisticam versari circa non-ens; hoc explicans Aristoteles dicit, Platonem hoc velle, Sophisticam sc. versari circa accidens, adeoque per non-ens intelligere accidens. Quâ in re tamen Philosophus non omninò consentit cum Platone, dum dicit Platonem *τετρατινὰ* quodammodo non malè fecisse, quod non-ens pro accidente adhibuerit: quibus innuit, non omninò bene non-ens loco accidentis adhiberi. Quod & in ratione additâ innuit, dum dicit Accidens saltem propinquum esse non-enti i. e. non absolutè non-ens esse, sed saltem *prope esse*.

(i) *Comm. ad b. l.* non-enti cum raro accidat, uti Averroës explicat. (i) Nisi igitur alia exempla magis perspicua afferantur, vix ea vocis accidentis in usu posita significatio, ex allatis probabitur. Sed hæc *ὡς ἐν περὶ ἰδέων*, (4) Accidens accipitur pro eo, quod ita extra rationem seu essentiam Substantiæ, ut ad eandem non præcise requiratur, sed adesse & abesse possit citra subjecti destructionem & interitum, & sic constituit *quintum predicabile* & proprio opponitur. (5) Denique accidens dicitur quod Substantiæ ex adverso ponitur, & *mentale* vulgò salutatur. Priores acceptiones à nobis *mutato* sunt alienæ, ultima saltem hujus est loci.

§. 4. In hoc verò prædicamentali accidente definiendo Philosophi non conveniunt. Mendoza (k) definit *Met. sect. 1. §. 1.* accidens, quod sit *conceptus rem in esse Substantiali supponens eamque perficiens*, & in Physicis (l) dicit, *accidentis ut sic conceptum esse τὸ esse extra conceptum rei*. Sed hæc definitio videtur (l) *disp. 12. §. 4.* etiam Subsistentiæ convenire, quæ tamen secundum ipsum (m) *disp. XI. Met. sect. 5. §. 44.* Mendozam (m) non est accidens, sed substantia. Similiter forma Substantialis ut uniatur materiæ, materiam in esse supponit, eamque perficit, quæ itidem, docente Mendozâ (n) *disp. 4. Phys. sect. 2.* (n) non est accidens sed Substantia. Sic & *λόγος* in unionem hypostaticâ supponit humanam naturam in esse substantiali illamque perficit: Ecquis verò eò absurditatis deveniat, ut *λόγος* Accidens (prout sc. Substantiæ opponitur) esse asserat. Videtur autem Mendozæ imposuisse ambiguitas quæ est in voce Accidentis & §. *preced.* à nobis est evoluta qua

qua nempe interdum Accidens accipitur pro omni, quod est extra rei essentiam: interdum verò in oppositione ad substantiam. Si priori modo sumitur Accidens admitti forsan poterit Mendozæ definitio, præfertim ea quod fit id quod est extra rei conceptum. Sed hic non est quæstio de accidente in priori acceptione, sed prout opponitur Substantiæ, & quæritur, quænam sit propria differentia, per quam Accidens à Substantiâ distinguatur.

§. 5. Suarez (o) definit accidens, quod sit forma aliquo modo afficiens vel denominans Subjectum, seu id cuius accidens esse dicitur. Et dicit se addidisse, aliquo modo afficiens, ut distinguat accidens non solum à Substantiali formâ, sed etiam ab omni modo Substantiali. Nam imprimis istam vocem diminueret, & indicare, accidens non constituere rem in esse suo simpliciter, in quo distinguatur à Substantiali formâ, neque pertinere ad complementum entitatis ejus, sed esse affectionem superadditam entitati completæ in suo ordine, in quo distinguatur à modo Substantiali, unde majoris claritatis causâ dici posse: *Accidens esse talem formam, que afficiat vel modifiet Subjectum extra rationem ejus existens.* Sed neque hæc definitio soli definito competit; cum & Substantiæ eadem conveniat. Anima enim rationalis est forma afficiens & modificans corpus organicum, & quoque extra rationem ejus est; anima rationalis verò est Substantia non accidens, uti nemo non fatetur. Sic & quælibet forma Substantialis afficit materiam, & extra rationem materiæ existit, non tamen, ipso Suarezio docente, est accidens prædicamentale.

§. 6. Arriaga (p) accidens prout Substantiæ opponitur, dicit esse id quod primam rem in quâ est intrinsecè non constituit, sed est extra ejus conceptum. Nomine a: prima vel intelligi vult quod primò & per se intenditur à naturâ, vel primò & per se existit, vel quod est prima radix cæterorum. Quo pacto ex mente Arriagæ duo erunt, quibus absolvetur ratio accidentis nempe 1. si sit in re primâ. 2. si non includatur in conceptu rei primæ. Sed & hæc definitio latior est definito, cum etiam

etiam Substantiæ alicui conveniat. Capilli enim, dentes, un-  
gues sunt in primâ re nempe animali, sunt etiam extra con-  
ceptum ejus. Folia item sunt in primâ re nempe arbore, hæc  
enim primò à naturâ intenditur, sunt quoque extra conce-  
ptum arboris. Aut igitur hæc erunt accidentia, aut de-  
finitio erit vitiosa. Prius nemo sanæ mentis asseret, Ergo  
posterius ipsi erit asserendum. *Dicit Arriagam non hoc vel-  
le, quod id sit accidens, quod quocunque modo in primâ re  
est & extra ejus conceptum, sed quod primam rem, in quâ est  
tanquam in Subjecto, intrinsecè non constituit, sed extra  
ejus conceptum est. Sed posito hanc esse Arriagæ mentem,  
(1) tamen minus à nequissimis egit, quod tò inesse non prius ab  
æquivocatione liberavit. Obscurum igitur quodnam velit dice-  
re eorum que declarata sunt per verbum quod multis modis dicitur,*

(q) l. 6. uti Philosophus (q) loquitur. (2) etiam in definitione erit  
Top. c. 2. aliquid redundans. *Id enim omne est supervacuum & redun-  
dans, quo sublato quod reliquum est planam facit rem eam que de-*

(r) l. 6. *finitur, ut accuratè in Topicis docet Aristoteles (r) Jam verò  
Top. c. 2. tò esse extra primæ rei conceptum nec eam intrinsecè constituere est  
id quo sublato id quod reliquum est planum facit accidens  
quod definitur. Nam tò esse in primâ re tanquam in subjecto  
sufficienter accidentis naturam explicat, illudque ab omni  
quod non est accidens adæquate distinguit, uti ex inferius  
dicendis erit manifestum. tò esse igitur extra primæ rei conce-  
ptum nec eam intrinsecè constituere erit redundans & supervaca-  
neum in definitione accidentis, quod est contra bene defi-  
niendi leges. Huc accedit, quod tò esse extra rei conceptum  
non pertinet ad conceptum proprium accidentis, (ad quem  
Arriaga referre videtur) cum sit ipsi cum Substantiâ com-  
mune. Cum hæc Arriagæ definitione ferè coincidit illa*

(s) l. 2. Scheibleri (s) quod *accidens sit ens extra essentialiter afficiens Sub-  
Met. c. 6. stantiam, unde de eâ idem quod de Arriaganâ erit judi-  
cii. 2. §. 14. cium.*

(t) Contr. §. 7. Oviedo (t) si Rudrauffio credimus, accidens de-  
6. Met. scribit quod sit *id quod intenditur à naturâ propter aliud, à quo  
punct. 1. adæquatè distinguitur. Sed vix hæc definitio soli accidenti  
§. 2. præ-*

prædicamentali competeret. Fructus enim arborum & semina à natura propter aliud intenduntur, nempe propter conservationem speciei & animalium, à quâ adæquatè distinguuntur, nec tamen sunt accidentia prædicamentalia. Sic oculus à naturâ intenditur propter visum, auris propter auditum, à quibus adæquate distinguuntur, quæ tamen rursus non sunt accidentia prædicamentalia. Patet igitur hanc definitionem excedere terminos definiti, cum competat aliis, quæ non sunt accidentia.

§. 8. Cum igitur melior accidentis definitio substituta hætenus non sit, retinebimus descriptionem, quod sit *Ens, quod est in alio tanquam in subjecto*. Non sine causâ voco descriptionem. Definitionem enim, quam genere & differentiâ constare volunt Logicorum præcepta, vix sperare licet, cum accidens nullum supra se habeat genus. Habet quidem supra se Ens, sed hoc respectu substantiæ & accidentis teste Porphyrio (u) & ipso Aristotele (x) non est genus. Et accuratissimus Piccartus (y) inde probat, quia entis non est communis aliqua natura, qualem vera genera habent, quæ concipiuntur sine intuitu specierum, sed quicquid ens est, hoc habet primariò à substantiâ, secundariò ab accidentibus. Idem probat quoque Ammonius, cujus verba legere poteris in Institutionibus Logicis (z) Pl. Reverendi Dn. D. Bechmanni Patroni & Præceptoris mei parentis instar æternum venerandi, videas quoque, si placet, Dreieri Philosophiam primam, (a) in quâ id ex Aristotele pluribus probatum reperies.

§. 9. Dicimus primò, quod sit Ens, quo ipso communem ejus cum Substantiâ assignamus conceptum. Etenim *Ens docente Aristotele (b) multipliciter dicitur. Significat enim aliud quidem quid est & hoc aliquid: aliud vero quod quale aut quantum aut singula aliorum, quæ ita prædicantur*. h. e. Ens significat & Substantiam & accidentia Substantiæ. Hinc fluxit tralatitium illud.

*Magnus Aristoteles trutinando cacumina rerum,*

*In duo divisit quicquid in orbe fuit.*

B

S. 10.

(u) *Isag.*

c. 2. §. 3.

(x) *3. Met.*

c. 3. 10.

*Met. c. 2.*

(y) *diff.*

20. *Philos.*

*Altorf.*

§. 12.

(z) *l. 1. c. 3.*

§. 40.

(a) *diff. 2.*

§. 9.

(b) *l. 7.*

*Met. c. 1.*

(c) l. 4. §. 10. Ens verò secundum Philosophum (c) dicitur de  
 Met. c. 2. Substantia & accidente ἔχ' ὁμωνύμως non equivocè. Homo-  
 nyma enim solum nomen commune habent, & homonymorum  
 nihil aliud est, ut Averroës loquitur, nisi significare. Certum au-  
 (d) Com. tem est, ut benè loquitur Cl. Sohnerus (d) majorem esse com-  
 ad lib. 7. munitatem inter Substantias & accidentia, quàm nominis tantum,  
 Met. c. 4. quia accidentia in sui definitionem recipiunt Substantiam & sunt ali-  
 quid Substantiarum. Neque etiam de iisdem dicitur ὁμωνύ-  
 μως s. univocè. Ubi quidem supponimus ex Græcis inter-  
 pretibus, ad univoca strictè sic dicta requiri, ut non solum  
 habeant idem nomen & eandem naturam per nomen com-  
 mune significatam, sed & ut illa natura communis non uni  
 inferiorum primariò, alteri vel reliquis secundariò, vel poste-  
 rius & ratione prioris s. propter dependentiam ad illud; sed  
 ut omnibus inferioribus equaliter competat. Hinc & Syno-  
 nyma ab Aristotele dicuntur καθ' ἐν (e) quod naturam illam  
 (e) 4. Met. unam & eandem, quam menti objiciunt, cum suis seu specie-  
 c. 2. bus seu individuis equaliter & pari honore, ut Suidas loquitur,  
 communicent. Quod & clarè profitetur, teste Scherbio  
 (f) disp. (f) Græcus supremæ Philosophiæ interpres. *Synonyma*, in-  
 10. ebef. quit, sub genere quodam communi ponuntur, omniaque pariter ac  
 Philos. similiter participant eâ naturâ, quæ per genus, quod dicitur, signifi-  
 §. 22. catur. Hoc supposito facilè patet, quod ens de Substantiâ  
 & accidente non prædicetur univocè, cum ipsis non aqua-  
 liter competat, ut jam jam ostendetur. Idem, quod nempe  
 (g) Com. non prædicetur univocè, Sohnerus (g) ostendit exinde, quia  
 ad l. 7. Substantia ingrediatur definitionem accidentis, quod non  
 Met. c. 4. fiat in univocis. Interim si univoca latius usurpare velis &  
 ea omnia vocare univoca, quæ habent idem nomen & eam-  
 dem naturam nomine significatam, non attendendo, an ea  
 natura ipsis competat equaliter, an inæqualiter, facilè, cum  
 lis sit saltem de nomine, largiemur, ens prædicari univocè  
 (b) l. 7. de Substantiâ & accidente. Similiter enim Philosophus (b)  
 Met. 4. cum dixisset nullum medicinale corpus, opus, & vas dici æ-  
 quivocè, neque secundum unum, sed ad unum, subjun-  
 git: ταῦτα μὲν ἐν ὁποτέρως τις θελήσῃ λέγειν, ἀσφάρις ἔδεν.  
 Sed



Sed hæc quidem quomodocunque quis dicere velit nihil dif-  
fert.

§. 11. Cum verò Philosophi nostri vestigia premere  
placeat, qui univoca in sensu strictiore adhibere solet, eo,  
quem descripsimus, modo, & accuratè distinguit inter ea  
quæ dicuntur καὶ ἐν & πρὸς ἐν (i) item: πρὸς τὸ αὐτὸ εἶδος (i) l. 7.  
(k) & καὶ ἐν εἶδος (l) dicimus, Ens de Substantiâ & acci- Met. c. 4.  
dente dici non συνωνύμως sed πρὸς ἐν καὶ μίαν τιὰ φύσιν ad u- (k) 9. Met.  
num, unamq; quamdam naturam, ut loquitur Philosophus l. 4. c. 1.  
Met. c. 2. (l) l. 1.

§. 12. Hisce ut sua lux constet, notandum præter uni- Eth. c. 4.  
voca & æquivoca esse quædam, quæ ab Aristotele nuncupan-  
tur vocabula πρὸς ἐν ἢ ἀφ' ἐνός ad unum s. ab uno, ut videre  
licet h. Eth. c. 4. l. 4. Met. c. 2. it. πρὸς μίαν φύσιν ad unam na-  
turam. Πρὸς μίαν δὲχην ad unum principium l. 4. Met. c. 2. ἐν οἷς  
τὸ πρότερον καὶ τὸ ὑστερον λέγεται in quibus prius & posterius esse  
dicunt l. 1. Eth. c. 4. ἐν ὅποις ὑπάρχει τὸ πρότερον καὶ ὑστερον  
in quibus est prius & posterius l. 1. Eudem. c. 8. & l. 1. de gener. &  
Corrupt. c. 6. t. 44. vocat τὰ πρότερα διὰ τῶν ἐτέρων καὶ τῶν ὑ-  
στέρων altera ab alteris & prioribus. Vocantur etiam, ut Scher-  
bius censet (m) à Philosopho l. 12. Met. c. 1. τὰ ἐφεξῆς Sed vix  
hæc l. c. Philosophi mens est. Ipse enim videtur l. 4. Met. (m) dispi.  
sub finem c. 2. τὰ ἐφεξῆς opponere τοῖς πρὸς ἐν dum dicit. 10. tbes.  
τὰ μὲν πρὸς τὸ ἐν, τὰ δὲ τὰ ἐφεξῆς hæc sunt ad unum, illa verò con- Philos.  
sequenter.

§. 13. Et Græci quidem referunt vocabula illa, quæ  
ad unum vel ab uno dicuntur, ad æquivoca. Sic Eustratius;  
(n) Cum multi modi sint, inquit, quibus æquivoca ponuntur, uno (n) Com.  
solo rejecto, utpote ad rem presentem minus accommodato, id est, in l. 1. Eth.  
eo qui est à fortunâ, de reliquis nullam mentionem fecit, quasi pateat, c. 4. p. m.  
neque illos ad rem prorsus convenire, duosque solos admittit, eum s. 6.  
qui est ab uno & ad unum, & eum qui ex ratâ portione convenien-  
tia resultat. Et mox ea definiens, nominat æquivoca ab uno  
& ad unum. Quin etiam id videri potest apud Ammonium  
& Simplicium in Prolegomenis. Ipse Aristoteles quoque  
non obscure ad æquivoca hæc nomina referre videtur.

quando l. 1. *Etb.* c. 4. dicit: *Bonum non esse equivocum à fortuna, sed ex iis, quæ ab uno sunt vel ad unum.* Quapropter quando supra diximus, præter univoca & æquivoça hæc dati media, illud intelleximus de purè æquivocis, quæ nihil præter nomen commune habent. Quomodo ipse Ammonius in *Categoriâ Qualitatis*, communia ab æquivocis distinguit, quando ait, ea quæ dicuntur *πολλαχῶς* non dici *ὁμωνύμῳ* sed *πλεοναχῶς ἢ ἁποφύρας*, cum tamen aliàs ad homonyma apertè referat; & Aristoteles l. 4. *Met.* c. 2. dicit *Ens dici πρὸς ἓν non ὁμωνύμῳς* s. *equivoce*. Ita & Græcus supremæ Philosophiæ interpretes (o) clarè hæc distinguit ab æquivocis, quando ait: *Quæ ab uno & ad unum dicuntur, neque eam paritatem inter se servant quam Synonyma ad id, quod prædicatur, neque rursus eorum homonymorum diversitatem habent, sed ipsis communitas quædam suppetit, quatenus ea sunt quæ dicuntur, quoniam illius rei una est natura, & in his omnibus videtur quodammodo, à qua existentiam vel in quam relationem quamdam habent.*

(o) cit.

Scherb.

disp. 10.

thes. Phil.

§. 22.

§. 14. Obiter hic observa Græcos interpretes aliquod adhuc discrimen agnoscere inter *τὰ ἀπ' ἑνὸς* & *τὰ πρὸς ἓν* s. ad unum. *Quæ sunt ad unum, inquit Ammonius, differunt ab iis quæ ab uno denominantur, quod illa ab aliquo principio dicuntur, hæc verò ad unum aliquem finem spectant.*

(p) de naturalis scientia

const. c. 1.

(q) l. 1.

System.

Log. c. 1.

§. 15. Valdè tamen *ἀνύγως* & contra mentem Philosophi, quod jam olim detexit Zabarella (p) à Scholasticis communia ad unum confunduntur cum Analogis. Hinc enim orta, iudicio Keckermanni (q) illa insipida divisio analogorum apud Scholasticos in *analogia attributionis* & *analogia proportionis, quasi dicas proportionata proportionis*. Ipsa autem attributionis analogia pervulgatissimo hodie usu pro communibus ad unum s. ab uno usurpantur. Sed vix ac ne vix quidem vel apud Aristotelem vel alium ullum Græcum ejus interpretem accipiuntur analogia pro communibus ad unum s. ab uno. Analogia enim, uti observat Dominus D. Dreierus (r) Græci contradistinguunt communibus ad unum s. ab uno, ut & ipse Aristoteles. (s) Sunt enim Analogia, quæ similitudinem ad se invicem habent, ut dicere possim, ut se habet

(r) Disp. 3.

in prim.

Phil. §. 13.

(s) l. 1. *Etb.*

c. 4. §. 23.

bet hoc ad hoc, ita illud ad illud, ut se habet hoc in hoc, ita illud in illo, ut se habet visus in corpore, ita mens in animâ l. 4. Met. c. 6. l. 2. de animâ t. 9. l. 9. Met. c. 6. l. 14. Met. c. 6. l. 2. Post. c. 16. At communia ad unum seu ab uno (quatenus talia) talem comparationem non requirunt, sed relationem ad commune principium vel communem finem. Porro Analoga, ut observat Sobnerus (t) sub diversas cadunt scientias, communia vero ad unum s. ab uno unius sunt scientiæ, in l. 4. quia sunt inseparabilia, quemadmodum accidentia à Substantiâ. Non enim solum eorum, inquit Philosophus, (u) (u) l. 4. quæ secundum unum dicuntur, verum etiam eorum, quæ ad unam naturam dicuntur, unius scientiæ est speculari. Etenim hæc etiam quodammodo secundum unum dicuntur. vide B. Stahlii Instit. Logicas. l. 1. c. 2. § 10.

§. 16. Hæc vero communia ad unum s. ab uno dicuntur, quando aliquorum unum est nomen, sed ita ut unum primario, alteri vel reliquis secundario vel posterius & ratione prioris competat propter dependentiam sc. ab illo seu ad illud vel alio modo.

§. 17. Sed non ejusdem sunt rationis. Quædam enim propius accedunt ad univoca; quædam vero propius accedunt ad æquivoca.

§. 8. Quæ propius accedunt ad univoca, sunt duplicis generis. Quædam enim non solum idem nomen, sed & eandem naturam per illud denotant habent, sed inæqualiter & cum quodam ordine, ita ut alterum alterum tanquam prius agnoscat. e. g. anima vegetativa, sensitiva, & intelligens habent idem nomen & eandem essentiam per nomen illud denotant, sed inæqualiter, & cum quodam ordine, una enim alteram agnoscit priorem. Unde in communibus hisce sublatò primo reliqua omnia sunt tollenda: At verò in univocis strictè sic dictis, sublatâ unâ specie, reliquæ non tolluntur, sed potius sublatò genere tolluntur species. Sic à Græcis in his vocabulis ponitur numerus, jam verò sublatâ primâ quasi specie numeri, nempe unitate, tolluntur & reliquæ, binarius, ternarius &c. quin ipse numerus. Quædam vero

verò communia ad unum, quæ propius accedunt ad univo-  
ca, habent idem nomen, & eandem naturam per nomen il-  
lud denotatam, sed ita ut primo eorum competat modo  
quodam excellentiori & perfectiori; cæteris verò imperfe-  
ctiori. e.g. *Demonstratio διότι* & *demonstratio ὅτι*, habent idem  
nomen, nempe *demonstratio*, & naturam quoque per illud de-  
notatam, ita tamen ut demonstrationi *διότι* competat mo-  
do longè nobiliori & excellentiori, quàm demonstrationi  
*ὅτι*.

§. 19. Quæ verò communia ad unum propius acce-  
dunt ad homonyma seu æquivoca, sunt, quorum primum  
tantum significatum formaliter est tale, reliqua autem di-  
cuntur talia solùm externâ quâdam appellatione & relatio-  
ne certâ ad primum illud h.m. *sanum* respectu *animalis*, *medi-*  
*camenti* & *coloris* est commune ad unum seu ab uno, quia *sani-*  
*tas* per τὸ *sanum* significata primò formaliter & intrinsecè a-  
nimali tantùm competit, reliquis verò saltem extrinsecè;  
medicamento sc. quatenus extra se sanitatem efficit in ani-  
mali, colori, quatenus eam indicat. Hæc quia solum no-  
men habent commune, non verò naturam per illud deno-  
tatam, propius accedunt ad æquivoca. Quia verò ita se ha-  
bent, ut unum ab altero vel ad alterum dicatur, sunt com-  
munia ad unum seu ab uno.

§. 20. Diversitatem hanc communium ad unum agno-  
(x) l. 3. c. 1. visse videtur Aristoteles, quando in *Politicis* ait: (x) *Non latere*  
*nos debet, quod in rebus, quarum subjecta differunt specie, & aliud*  
*eorum est primum, aliud secundum, aliud consequens, aut omninò*  
(y) *diff. nihil est, quæ talia sunt, commune, aut per quàm tenuiter & angu-*  
10. *stè,* plura vide apud Scherbium (y) & Venerandum Præcepto-  
Philos. rem nostrum Pl. Reverendum Dn. D. Bechmannum (z) à  
(z) l. 1. In quibus hæc pleraque accepimus.

§. 21. Cum igitur ex dictis nunc constet, quid sint  
6. 4. communia ad unum seu ab uno, facilè intelligemus, Ens re-  
spectu Substantiæ & Accidentis esse commune ad unum seu  
ab uno. Ex eorum enim descriptione ita argumentari licet:  
Quicquid ita de Substantiâ & Accidente dicitur, ut primariò  
com-

competat Substantiæ, secundariò vero & propter dependen-  
 tiam à Substantia, aut propter habitudinem ad Substantiam,  
 accidenti, illud de substantiâ & accidente dicitur ut commu-  
 ne ad unum seu ab uno: id quod facilè probabunt, quæ præ-  
 cedentibus thesibus dicta sunt. Atquæ Ens de Substantiâ &  
 accidente dicitur ita, ut primariò competat Substantiæ, Ac-  
 cidenti verò secundariò & propter dependentiam à Substan-  
 tiâ, aut propter habitudinem ad Substantiam, uti nemini  
 ignotum est, nisi enim Substantia esset, accidens quoque  
 non esset. Firmum igitur manet Ens respectu Substantiæ  
 & accidentis esse commune ad unum seu ab uno. Porro ita  
 argumentamur: Quodcunque ita se habet respectu aliquo-  
 rum, ut sublato uno & ipsum commune & reliqua omnia  
 tollantur, illud respectu eorum est commune  $\omega\rho\varsigma\ \acute{\epsilon}\nu\ \eta\ \acute{\alpha}\phi\ \acute{\epsilon}\nu\theta\varsigma$ .  
 Jam vero Ens respectu Substantiæ & accidentis ita  
 se habet, ut sublato uno, nempe Substantiâ, alterum quo-  
 que, nempe accidens, imò ipsum commune, nempe Ens, tol-  
 latur. Si enim non esset Substantia ulla, nec accidens nec  
 Ens esse poterit, quod nemo negabit, nisi ad absurdum id ve-  
 lit dilabi, ut, accidens à seipso esse posse, velit statuere.  
 Constat igitur Ens respectu substantiæ & accidentis esse com-  
 mune  $\omega\rho\varsigma\ \acute{\epsilon}\nu\ \eta\ \acute{\alpha}\phi\ \acute{\epsilon}\nu\theta\varsigma$ .

§. 22. Hæc ipse Philosophus suo comprobat calculo.  
 Ita enim l. 4. Met. c. 2. *Ens multipliciter quidem dicitur, ἀλλὰ  
 ωρὸς ἐν ἑκῇ μίαν τινὰ φύσιν, καὶ εἰς ὁμώνυμῶς* i. e. *ad unum,  
 unamque naturam non equivoco. Et l. 7. Met. c. 4. dicit: Ipsum  
 EST inest quidem omnibus, sed εἰς ὁμοίως, ἀλλὰ τῷ μὲν πρῶ-  
 τως, τοῖς δ' ἐπομῶς* i. e. *non similiter, sed huius quidem, nempe  
 substantiæ primò, illis verò, accidentibus sc. consequenter. Hinc  
 & ferè fit quod Philosophus ubique ferè substantiam vocat (a) l. 7.  
 ἀπλῶς ὄν simpliciter Ens, (a) ὄντως ὄν, ὅπερ ἔν verè & Substan- Met. c. 16  
 tialiter ens (b) seu κρυφίως ὄν ut interpretatur ibidem Simpli- (b) l. 1.  
 cius, & Themistius; (c) hoc, inquit, apud nos ὅπερ ὄν verè Ens, Phys. c. 3.  
 quod apud Platonem dicitur αὐτὸ ὄν i. e. ut vertit Hermolaus (c) Com.  
 Barbarus, ipsissimum ens. Hinc & l. 12. Met. c. 1. accidentia ad l. 1.  
 non dicit esse entia simpliciter & l. 7. Met. c. 1. dicit ea entia Phys. c. 3.  
 dici,*

dici, eò quod ὄντως ὄντ' ἔστι, quaedam sint quantitates, quaedam  
 qualitates, quaedam passiones, quaedam aliud quid tale i.e. uti Tho-  
 mas ad b.l. commentatur: eo quod habent aliquam habitudi-  
 nem ad Substantiam, quæ est per se Ens, atque absolutè significans  
 quidditatem, seu ut Philosophus seipsum explicat l.9. Met. c.1.  
 Secundum substantia rationem dicuntur entia quantum & quale,  
 ac cetera quæ ita dicuntur. Est quoque hæc sententia Parme-  
 nidis teste Nipho Philosopho Sueffano (d) & Platonis testan-  
 te eodem. Hinc & Plotinus ait: (e) Substantia corporea,  
 comparata ad accidentia ita se habet, quod illa primò ens existit,  
 accidentia secundum participationem gradu secundo. Aristote-  
 lis quoque vestigia ejus presserunt Interpretes. Hinc De-  
 Job. Bapt. xippus (f) Ens, inquit, equivocè prædicatur de prædicamentis:  
 Bernb. in & Ammonius (g) Ens, ait, de prædicamentis dicitur secundum  
 seminario prius & posterius, ideo non est commune genus, & paulò post: Ens  
 totius Ph. est primò Substantia, post Substantiam quantitas, post quantitatem  
 (f) Com. qualitas, è quibus Substantia prior si dimoveatur, dimovebuntur  
 in prædic. & reliqua accidentia. Substantia siquidem, ut accidentia sint, fa-  
 cit. Job. cit. Indigent Substantia accidentia, accidentium autem substan-  
 tia minimè. Existit enim per se substantia, at accidentia, nisi hæc,  
 Bernb. cui acciderent, prius existeret, nequaquam. Sic & Averroës (h)  
 (g) Com. Ens, inquit, est de nominibus, quæ dicuntur de rebus attributis ei-  
 in Porph. dem, & sunt media inter univoca & equivoca.  
 c.2. §. 23. Sed quod Ens non sit commune πρὸς ἕν, vide-  
 (h) Com. tur probari posse seqq. (1) Aristoteles l.5. Met. c. 12, dicit: Ens  
 ad l.4. equivocè dici (2) idem l. XI. c. 3. dicit, quod Ens dicatur  
 Met. c.2. καὶ ἕν secundum unum i.e. univocè. (3) Communia ad unum  
 unâ definitione comprehendi nequeunt. At vero ens una  
 definitione comprehendi potest. Ens igitur non erit com-  
 mune ad unum. (4) communiter objici solet: Quemcunque  
 conceptum inferiora participant æqualiter, ille respectu eo-  
 rum est univocus. Atqui conceptum entis inferiora, nem-  
 pe Substantia & accidens, participant æqualiter. E. conce-  
 ptus entis respectu inferiorum est univocus. Min. prob.  
 quia licet Substantia naturâ prius sit quam accidens est, con-  
 ceptus tamen entis, ut præcisus formaliter illam prioritatem  
 ac

ac dependentiam non dicit: & inæqualitas ea non competit  
ipsis secundum nomen entis, in hoc enim nomine sunt æqua-  
lissima, sed uni secundum nomen Substantiæ, alteri secundum  
nomen accidentis.

§. 24. Verum sunt quæ ad hæc respondeamus. Quod  
igitur attinet ad primum, Resp. (a) Philosophus non videtur  
l. c. Ens considerare respectu Substantiæ & accidentis. Di-  
xerat enim paulo ante, privationem esse habitum quodam-  
modo, & propterea omnia quod habent profectò aliquid  
esse, his subjungit: Æquivocè autem dicimus ipsum Ens,  
ubi, si bene mentem ejus assequimur, Philosophus hoc vide-  
tur velle; Ens æquivocè dici respectu habitus & privationis.  
Deinde posito, Philosophum loqui de ente respectu Substan-  
tiæ & accidentis, dicimus Philosophum hîc sumere vocabu-  
lum æquivocè non strictè pro purè æquivoco. Sic enim  
l. 4. Met. c. 2. negat Ens dici æquivocè, sed latè, quâ ratione  
communis ad unum s. ab uno ab Aristotele in Ethicis, ejus-  
que interpretibus ad æquivoca referuntur. Ad 2. Resp. (1)  
liber Metaphysicorum undecimus à Clarissimis quibusdam  
viris, in primis Pellegrino & Accorombonio, Aristotelis esse  
negatur. (2) Aristoteles τὸ καὶ ἐν sumit late, prout etiam  
communis ad unum, ea in primis, quæ propius accedunt ad  
univoca, comprehendit, cum & hæc teste Philosopho l. 4. Met.  
c. 2. quodammodo secundum unum dicantur. Quod au-  
tem per τὸ καὶ ἐν non intelligat univocum strictè sic dictum,  
pater ex præcedentibus mox ab initio hujus capituli. Ibi  
enim τὸ καὶ ἐν explicat per κατὰ π κοινὸν secundum aliquod  
commune, mox autem subjungit, quod aliquid h. m. dica-  
tur, quemadmodum Medicativum & salubre, ex quibus ita  
colligimus: Quod dicitur quemadmodum medicativum &  
salubre, illud non dicitur univocè, nec æquivocè, sed velut  
commune ad unum. (Non enim univocè, ut nemo non fa-  
tetur, nec etiam æquivocè, cum hunc modum prædicandi  
Aristoteles l. 4. Met. c. 2. disertè distinguat ab eo, quo aliquid  
prædicatur ut medicativum & salubre.) Atqui quod dicitur  
κατὰ π κοινὸν secundum aliquod commune, dicitur veluti

C

me-

(i) in Com.  
ad 1. Ca-  
teg. c. 7.

medicativum & salubre, uti cuiusvis inspicienti textum Aristotelicum ad oculos patebit. E. quod dicitur *κατὰ τι κοινόν*, non dicitur univocè nec æquivocè, sed velut commune ad unum s. ab uno. Ad 3. Respondent aliqui, quod communia ad unum unâ definitione comprehendi nequeant, id ita intelligendum esse, quod unâ & univocâ definitione comprehendi nequeant. Licet igitur Ens unâ generali aliquâ descriptione & conceptu comprehendi possit, quod sit id quod existit seu quod est extra nihil, ille tamen conceptus veræ aut univocæ definitionis nomen non meretur. Ipsum enim existere, quod in definitione illâ ponebatur, non æqualiter & univocè, sed *καθ' ἕτερον καὶ πρότερον* prædicatur. Scilicet aliter existere dicuntur v.g. ignis & aqua &c. nempe *κατ' αὐτὸ* & ut *ἕσται*, aliter vero longitudines & latitudines existunt, sc. ut quantitates eorum, quæ *κατ' αὐτὸ* existunt, aliter itidem existunt v.g. paternitas & filiatio, sc. ut *ἕσεις* entium, quæ *πρός τι* dicuntur, & tam tenuis sunt entitatis, ut antiquorum nonnulli existimaverint, eas non *ἀληθῶς ὑπάρχειν*, seu non esse verè entia, verum, ut loquebantur, *ἀναπλάσματα τῆς ἡμετέρας Δενοίας* i. e. figmenta intellectus nostri, ut Ammonius refert. (i) Patet igitur, τὸ existere univocam entis definitionem explere non posse. Quod si verò objectio id velit, communia ad unum planè unâ definitione non posse comprehendi, id de communibus ad unum, quæ propius accedunt ad æquivoca, quidem concedimus; de communibus ad unum verò, quæ propius accedunt ad univoca; id negamus; cum enim unam communem naturam hæc habeant, non videmus, quid obstat, quò minus unâ definitione comprehendi possint. Ad 4. Resp. neg. Minorem, quod nempe Substantia & accidens conceptum entis participant æqualiter: quod vero id ex eo probatur, quod conceptus entis præcisus formaliter inæqualitatem, vel prioritatem & dependentiam non dicat, ad id Respondemus, negando consequentiam. Aliud enim est conceptum quemdam communem præcisum, s. naturam aliquam communem non dicere inæqualitatem, aliud vero participationem

con-



conceptus vel naturæ illius communis non dicere inæqualitatem. Hoc ex illo non sequitur. Potest enim æqualis & eadem natura inæqualiter participari, seu potest natura, quæ in se dicit æqualitatem, in participatione tamen sui dicere inæqualitatem, & non quicquam repugantiæ hîc videmus. Plerumque verò Auctores in hâc controversiâ confundere solent ipsam æqualitatem naturæ, & æqualitatem participationis naturæ, nec observant, aliud esse naturam Substantiæ & accidentis in ratione entis esse æqualem, & aliud Substantiam & accidens habere æqualem participationem istius naturæ æqualis. Substantia & accidens habent quidem æqualem & eandem naturam. Sed æqualitas naturæ non facit univoca, nec tollit communia ad unum, cum dentur communia ad unum, quæ habent æqualem naturam, & propterea etiam dicuntur propius accedere ad univoca. Aequalis autem participatio ejusdem & æqualis naturæ facit univocum, inæqualis autem commune ad unum. Hinc si velis probare, Ens esse univocum respectu substantiæ & accidentis, non sufficit, si probes; Entis naturam esse æqualem & eandem in Substantiâ & accidente, hoc enim non facit univocum, uti jam diximus, sed probare debebis, in Substantiâ & accidente esse participationem æqualem illius naturæ æqualis; ubi sane inæqualitas cuius ad oculos patet. Quod vero porro dicitur, inæqualitatem ipsis non comperere secundum nomen entis, sed uni secundum nomen Substantiæ, alteri secundum nomen accidentis: ad id Resp. concedendo nomen entis ipsis æquale esse. Sufficit vero nobis naturam per nomen entis denotatam inæqualiter ab ipsis participari. Quod autem illa inæqualis naturæ participatio sit respectu Substantiæ & accidentis, id ipsum non tollit, sed potius ponit communitatem ad unum s. ab uno. Quando enim quæro, an ens sit commune ad unum s. ab uno, nihil aliud quæro, quàm quomodo accidens & Substantia participant natura entis, seu quomodo participatio naturæ entis sese habeat respectu Substantiæ & accidentis. Per hoc igitur non tollitur communitas ad unum.

§. 25. Cum igitur Ens respectu substantiæ & accidentis sit commune ad unum s. ab uno, communium verò alia propius accedant ad æquivoca, alia verò propius ad univoca, quæri potest, an Ens sit commune ad unum, quod propius accedit ad æquivoca, an verò quod propius accedit ad univoca?

§. 26. Qui prius quæstionis membrum amplectuntur; quod nempe *Ens sit commune ad unum s. ab uno, quod accedit ad æquivoca*, inter quos est ἀριστοτελικώτατ. Scherbius in the-  
(k) disp. 10. §. 36. (l) nituntur eâ hypothesi, quod accidentia non sint entia formaliter. E contrario, qui posterius quæstionis membrum amplectuntur, quod nempe *ens sit commune ad unum s. ab uno, quod propius accedit ad univoca*, contrariam fovent hypothesin, accidentia nimirum formaliter esse entia.

§. 27. Hinc cum quæstionis hujus decisio nitatur illâ controversiâ, *an accidentia formaliter sint entia*, de eâ prius erit dispiciendum.

§. 28. Et quidem accidentia non esse formaliter entia, sed potius non entia, videntur asserere Cartesii sectatores.  
(m) *Clav. Phil. nat. c. 4. §. 10.* Ita Johannes Tatinghoff (m) duo tantum summa rerum generalem seu cogitativam. Si quid prætereâ, dicit in Substantiâ tum materiali, tum intellectuali reperiatur cogitandum, illud non ens aliquod reale, ab iis Substantiis realiter distinctum esse, sed tantum modum. Ita motum, figuram, magnitudinem, non nisi varios modos materiæ esse. Quod si autem non modi, sed ens reale essent, non solum forent Substantiæ (cum omne ens reale sit Substantia) sed etiam per se absque omni materia subsistere possent. A quo non multum quoque abit Schüllerus in Metaphysicâ suâ (n). Et sane videtur ipse Philosophus noster statuere, accidentia non esse formaliter entia 1. enim Philosophus 2. *Met. c. 2. §. XI. Met. c. 3.* dicit. *Ens dici ad unum, quemadmodum omne sanum ad sanitatem, & medicinale ad medicinam.* At vero constat solum animal esse formaliter sanum, reliqua saltem denominativè

nativè dici sana propter relationem ad sanitatem animalis.  
 Quare ita etiam accidentia dicuntur ad Substantiam, ut non  
 sint formaliter entia, sed denominativè saltem s. denomina-  
 tione externâ, quò referri potest, quod in principio 9. Met. ait:  
*Cetera omnia secundum Substantia rationem entia dici.* (2) Aristo-  
 teles 1. 7. Met. 1. ait: *Cetera entia dicuntur, eò quod entis prop. dicti  
 quaedam sicut quantitates, quaedam qualitates, quaedam aliud quid  
 tale, unde quis dubitaverit, utrum ipsum ambulare & sanum esse  
 ac sedere, & unumquodque horum sit Ens an non - ens.* (3) Aristo-  
 teles 12. Met. expressè scribit: *Accidentia non esse simpliciter en-  
 tia, verum qualitates & motus, quemadmodum non album & non-  
 rectum.* Dicimus namq; hæc quoq; esse, veluti est non album: ubi  
 Philosophus videtur innuere, accidentia non aliter esse entia,  
 quam negationes.

§. 29. Nihilominus Accidentia esse formaliter entia  
 asserunt Cl. Piccartus (o) Sohnerus (p) & Ebelius, quorum (o) Phil.  
 & nos amplectimur sententiam, eamque probamus hoc ar- Alcorff.  
 gumento: Quicquid formaliter habet essentiam, etiam for- disp. 35.  
 maliter habet existentiam, cum essentia actualis & existentia qu. 4.  
 realiter non differant, omni Philosophorum choro con- (p) Com.  
 sentiente. Atqui accidentia habent formaliter essentiam; in 1. 7.  
 exprimitur quippe per prædicata formalia, ut, Albedo est Met. c. 1.  
 color disgregans visum. E. Accidentia formaliter quoque  
 habebunt existentiam, & per consequens erunt formaliter  
 entia.

§. 13. Observes verò (1) τὸ formaliter ens esse nobis i-  
 dem esse ac verè & intrinsecè naturam entis habere, & non  
 saltem denominatione extrinsecâ. (2) per ens à nobis hîc in-  
 telligi id quod existit, quod extra causas est, seu quod habet veram  
 & positivam essentiam.

§. 31. Quod igitur attinet Tatinghoffii sententiam,  
 largimur, accidentia non esse formaliter entia, si per ens in-  
 telligat id quod per se existit s. Substantiam, quod se quidem  
 per ens intelligere in allatis verbis non obscure innuit. Ab-  
 surdi enim essemus, si statueremus, accidentia esse verè & for-  
 maliter entia per se subsistentia s. substantias. Si verò per

ens intelligit, quod revera existit s. existentiam habet, ejus sententia tam facile rejicitur, quam ab ipso asseritur, neque ullum solidum illius videmus fundamentum. Quod verò porrò dicit, motum, figuram & magnitudinem esse modos Substantiæ à Substantiâ realiter non distinctos, in eo nostrum calculum non meretur. Cum enim figura, motus, & magnitudo separari possint à Substantiâ salvâ manente Substantiâ, quod nemo ibi inficias, patet facile, hæc à Substantiâ realiter distingui. Cum separabilitas sit infallibilis nota realis distinctionis.

§. 32. Similiter nec Philosophus est contrarius: Quod enim I. attinet ex *IV. Met. c. 2. & XI. Met. c. 3.* adductum. Respondemus (L) cum Suarezio (q) Aristotelem comparasse ens & sanum in analogiâ absolute, non vero in modo analogiæ (uti Suarez more Scholasticis usitato loquitur.) Nempe Philosophus non aliter comparat ens & sanum, nisi quòd ens etiam ad unum dicatur sicuti sanum, quod autem eodem modo ad unum dicatur, Philosophus non dicit. Dicit quidem ens ad modum sani dici, sed, in quo consistat modus, descriperat, nempe *πρὸς ἐν ἡ ἑκατέρωθεν φύσιν* ad unum unamque naturam; Vult igitur hoc quod etiam ut sanum ad unum dicatur. Et sanè Philosophum non hoc velle, quod ens eodem planè modo sese habeat ad Substantiam & accidens, sicuti se habet sanum ad sua quasi inferiora, inde colligi potest, quod sani quasi inferiora, si Thomæ (r) assentimur, referuntur ad unum tanquam finem. At verò hoc modo entis inferiora inter se ad unum non comparantur, sed ad unum tanquam subjectum. Si igitur firma esset consequentia argumenti adducti ex loco Aristotelis, eodem modo sequeretur, quod omnia entia ad unum dicantur tanquam finem, quod tamen non commodè asseri posse videtur: Porro sanum de suis significatis ita prædicatur, ut agnoscat superius. Si igitur ens eodem modo prædicatur ut sanum, etiam ens ita prædicabitur, ut agnoscat superius, quod cordati tamen hætenus rejecerunt Philosophi. Videtur autem Aristoteles ideo dixisse, ens dici ut sanum, quia in communibus ad unum seu ab uno

(q) indic.  
in l. 4.  
Met. c. 2.

(r) Com.  
h. l.

uno quæ propius accedunt ad æquivoca (quale est sanum.)  
magis manifesta est diversitas communium ad unum ab uni-  
vocis. (2) Dicit potest, Philosophum hîc non præcisè agere de  
ente in ordine ad Substantiam & accidens: sed de ente ratio-  
ne omnium suorum significatorum, de quibus quomodocun-  
que esse prædicatur. Dicit enim, quod quædam entia di-  
cantur quoniam Substantiæ, quædam quoniam passiones  
Substantiæ, quædam quoniam via ad Substantiam, aut corru-  
ptiones, aut privationes, aut qualitates, aut effectiva, aut ge-  
nerativa Substantiæ, seu eorum quæ ad Substantiam dicun-  
tur, aut ad aliquorum ex his negationes, aut Substantias.  
Quare & ipsum non-ens esse dicimus. Si igitur quicquam  
ex h. l. colligi potest, nihil aliud colligetur, quam ens his o-  
mnibus ita convenire, ut non omnibus insit formaliter, sicut  
sanum non omnibus formaliter inest: quod utrâque lar-  
gimur manu. Neque obstat locus IX. Met. c. 1. Non enim  
ibi negat, accidentia esse formaliter entia, sed saltem dicit  
quomodo participant ratione formali entis, nempe secun-  
dum rationem Substantiæ, i. e. in Substantiâ. Causam red-  
dit hanc: *omnia namque habent rationem Substantiæ, quia, ut*  
*Thomas notat, in definitione cujuscunque Accidentis oportet ponere*  
*propriam substantiam, seu quia in definitione eorum apparet Substan-*  
*tia, ut Averroës loquitur. Si quis enim quantum, aut quale,*  
*aliudve quippiam predicamentum definiat, necessario in definitionem*  
*eorum Substantiam assumet, sicut ad finitatis definitionem natus ad-*  
*sumitur, inquit Alexander Aphrodisiensis (s) Nil igitur aliud (s) Com.*  
vult, quàm accidentia dici entia propter Substantiam seu ha- *ad h. l.*  
bere existentiam suam in Substantiâ, seu dependentem à Sub-  
stantiâ. Dependens verò non obstat, quò minus aliquid  
formaliter ens sit, aliàs enim solus Deus formaliter ens esset.  
Solutus enim est principium omnibus essendi, & quicquid est,  
ab hoc habet entitatem, & est participatio quædam illius. Ad  
2. ex l. 7. Met. c. 1. Resp. (1) Aristotelem in illo loco accipe-  
re ens pro eo, quod per se subsistit. Cum enim dixisset, dubi-  
tare aliquem posse, utrum ipsum ambulare & sanum esse ac-  
cedere, & unumquodque horum sit ens an non ens, ejus hanc  
reddit

reddit rationem, quod nihil horum est per se naturâ aptum, neque possibile à Substantiâ separari. Ex hoc igitur dubium esse putat, an accidentia in abstracto sumta sint entia, quod non per se subsistunt, nec separari possunt à materiâ, quæ incepta esset ratio dubitandi, nisi Ens pro per se existente sumeretur, & idem esset, ac si quis dubitare velit brutum esse animal, quia nō sit animal rationale, nisi animal sumat pro rationali. Hinc si quid concludi potest ex h. l. nihil aliud sequetur, quàm accidentia non esse formaliter entia per se existentia, quod lubentes concedimus. (2) posito Philosophum sumere ens pro eo quod existit, quod veram habet existentiam, non tamen Philosophus negat, accidentia esse formaliter entia, sed saltem de eo dubitat. Cum enim accidentia tenuioris sint entitatis facilè de eorum entitate dubitari potest. Non autem qui dubitat statim id de quo dubitat negare videtur. Ad 3. ex XII. Met. c. 1. Resp. Philosophum ibi saltem negare accidentia esse simpliciter entia. Jam vero notum est, Aristotelem per ἀπλῶς ὄν intelligere Substantiam, vide sis l. 7. Met. c. 1. Nil igitur aliud vult, quàm accidentia non esse eo modo entia quo Substantia ens est. Hæc enim simpliciter ens est, ut docet l. 7. Met. c. 1. accidens autem non est simpliciter ens, sed alicujus ens. Quod verò Philosophus dicit de accidentibus dici τὸ esse, quemadmodum τὸ esse de non-albo, per hoc vult, explicante Alexandro (1) significare, quod quemadmodum non album ab albo habet, ut dicatur esse, (ut cum dico est non album) ita accidentia à suis Substantiis habeant existentiam. Cum quo coincidit ferè Thomæ sententia, qui putat similitudinem in hoc esse, quod, sicut de negationibus τὸ esse dicitur ratione subjecti. Sicut v. g. non album esse dicitur, quia subjectum aliquod datur, quod est albedine privatum; Sic & esse dicatur de accidentibus, ratione Subjecti. In hoc tamen differre, ait, quod subjectum secundum accidentia habet esse aliquale, secundum privationes verò non habet esse aliquale, sed deficiens est ab esse. Secundum Sophoclerum verò, (u) similitudo inter negationes & accidentia, non consistit in hoc, quod accidentia sint etiam negatio entis,

(1.) Com  
ment. ad  
h. l.

(u) Com.  
ad l. 7.  
met. c. 4.

tis, quomodo v. g. *non album* est negatio albi, sed quod quemadmodum album non est de essentia non albi, etsi non-album denominetur ab albo, ita etiam Substantia non fit de essentia accidentis, etsi accidens suam essentiam à Substantia habeat. Nihilominus tamen, quia à Substantia & esse & essentiam habet, substantia sumitur in ejus definitione. Unde ejus definitio per denominationem dicitur, aut ex additione, quemadmodum non-album dicitur ex additione albi. Si Averrois & Javelli sequimur sententiam, Aristoteles hæc non dicit, quasi de accidentibus eodem modo dicatur *esse*, quo de negationibus dicitur; sed hisce occurrit iis, quæ objici poterant contra ea, quæ dixerat. Dixerat nimirum substantiam esse ens simpliciter, sed potuisset aliquis dicere: At vero *τὸ esse* prædicatur etiam de accidentibus. Ergò illa quoque erunt entia simpliciter. Huic objectioni occurrit Philosophus docens, non omne, de quo *τὸ esse* prædicatur, esse ens simpliciter, cum etiam *τὸ esse* dicatur de negationibus, quæ tamen non sint entia simpliciter. Quod si hæc mens est Philosophi, non adducit hæc, ut compareret inter se accidens & non-album, sed saltem instantiæ loco, quâ infringit hanc propositionem, *omne, de quo τὸ esse dicitur, est ens simpliciter*. Quamcunque responsionem amplectaris, salva erit nostra sententia.

§. 33. Ex hisce nunc facile colligere licet, ens respectu Substantiæ & accidentis esse commune ad unum s. ab uno, quod propius accedit ad univoca. Cujuscunque enim commune ad unum omnia inferiora sunt formaliter talia, illud est commune ad unum, quod propius accedit ad univoca. Atqui ens est commune ad unum, cujus omnia inferiora formaliter sunt talia quale est ipsum ens. E Ens est commune ad unum, quod propius accedit ad univoca. Major nititur ipsa definitione cummunium ad unum, quæ propius accedunt ad univoca. Minor itidem clara est. Entis enim inferiora sunt substantia & accidens. Substantiam verò formaliter ens esse, nemo sanæ quidem mentis hætenus negavit: Accidens verò formaliter ens esse, in præcedentibus dedimus probatum.

D

§. 34.

§. 34. Atque sic satis lustravimus, in quo & quomodo accidens cum Substantiâ in ratione entis conveniat, restat nunc, ut, in quo à Substantiâ differat, dispiciamus.

§. 35. Hanc vero accidentis à Substantiâ differentiam constituimus in eo, *quod accidens est tale ens, quod est in alio tanquam in subjecto.*

§. 36. Hæc ut fiant clariora, explicandum, quid sit esse in subjecto. Hoc verò explicat Aristoteles l. Categ. c. 7. §. 2. his verbis: *ἐν ὑποκειμένῳ δὲ λέγω, ὃ ἐν τινὶ μὴ ὡς μέρος ὑπάρχον, ἀδύνατον χωρὶς εἶναι, τὰ ἐν ᾧ εἶναι* i. e. *in Subjecto esse dico, quod in re aliqua inest non ut pars, nec sine eo, in quo est, esse potest.*

§. 37. Hic vero ante omnia explicandum, quid Philosophus nomine *subjecti* intelligat. Est quippe hæc vox ambigua. Sciendum igitur Subjectum in præsentem non notare priorem propositionis partem, quæ dicitur aliàs *subjectum Categoriarum*, seu *predicationis*, & (termino truncato) *Subjectum de quo*, quale Subjectum intelligitur, quando in antepæd. Philosophus dicit: *Quædam de subjecto dici.* Nec notat h. l. alteram partem essentialem corporis Physici, quæ dicitur *materia ex qua* seu *subjectum generationis*: neque significat *subjectum*, ut vocant, *occupationis*, circa quod scientiæ & artifices versantur, sed intelligitur, h. l. *subjectum* *ὡς ἐπὶ ὑπαρχῆν* ad *subsistentiam*, ut loquitur Ammonius (x) seu *ὑπαρχέως* sive *sub-*  
(x) Com. *ad l. Ca-* *stentia*, quod latinis dicitur *inbasionis* vel *inherentia*, cum omne  
teg. c. 2. *accidens prædicamentale*, de quo nunc agimus, dicat relationem, ordinem & respectum ad subjectum *ὑπαρχέως*.

§. 38. Non sine causâ dico: *prædicamentale*. Accidentis enim prædicabilis diversa est ratio. Differunt autem hæc duo in eo potissimum, quod accidens prædicabile opponatur quatuor prioribus prædicabilibus, & definitur secundum Porphyrium c. 5. *quod adesse & abesse potest sine subjecti corruptione*, seu quod alicui ita competit, ut citra essentialis corruptionem de eo affirmari & negari queat, ut album respectu hominis, & hoc accidens interdum est Substantia, adeoque non semper respectum dicit ad subjectum. *ὑπαρχέως*.



ξεως, ut in prædicatione personali *Deus est homo*: ubi homo respectu Dei accidens prædicabile esse statuitur. Homo vero est substantia. Prædicamentale autem contradistinctur substantiæ, nec unquam potest esse substantia.

§. 39. Ut autem intelligatur, quale sit ὑποκειµενον seu subjectum illud ὑπαρξεως, cui inesse dicitur accidens, not. quod Philosophus ait, id quod in subjecto est esse ἐν τινι in aliquo, sc. uno, si Græcis credimus interpretibus, non verò in pluribus. Unde cum totum dicitur esse & consistere in suis partibus, non est in illis tanquam in subjecto, quia in illis non est ὡς ἐν τινι ut in aliquo, sed ὡς ἐν πῶν ut in aliquibus seu pluribus.

§. 40. Particula πὶ vero hîc non notat quodlibet quod unum est e.g. *quantum, quale &c.* licet interdum in latâ hâc significatione sumatur, sed notat h. l. *Substantiam*, in quâ significatione etiam sumitur à Philosopho l. i. Eth. c. 4 τὸ δὲ ἀγαθὸν λέγεται, καὶ ἐν τῷ τί ᾔσθι, καὶ ἐν τῷ ποιῶ, καὶ ἐν τῷ πρὸς τι. Bonum dicitur & in eo quod est quid, & in quali, & in eo quod est ad aliquid. Ubi per τὸ τί ᾔσθι intelligitur substantia, ut notat Eustratius ad h. l. τὸ πὶ, inquit ᾔσθιν ἢ ἔσθια, τὸ γὰρ τί ᾔσθι ὑφηρετικὸν πρᾶγματ' λέγεται: ἕλεμια δὲ τῶν ἄλλων κατηγοριῶν ἔχθ' τὸ ὑφηρετικὸν κατ' αὐτὸ καὶ μὴ ἐν ὑποκειµένῳ εἶναι, ἀλλὰ ἢ μόνῃ ἢ ἔσθια id est, illud πὶ est Substantia. πὶ enim de re subsistente dicitur, nulla vero est ex aliis nuncupationibus seu prædicamentis quæ per se subsistat, neq; in subjecto sit nisi sola Substantia. Hinc & Alex. Aphrodis. ait (γ) Consuevit Aristoteles pro Substantia hoc aliquid & quid est accipere.

§. 41. Etsi vero tam immateriali quàm materiali Substantiæ non repugnet esse Subjectum accidentium; Aristoteles tamen secundum Græcos h. l. per particulam πὶ non notat omnem Substantiam, sed illam quæ per formam est determinata, itâ ut cadat sub sensus & digitis quasi ostendi possit, cujusmodi est Substantia corporea singularis. Difertè sanè Simplicius (z) id, inquit, quod est in subjecto, in substantiâ est, & velut in Substantiâ, quæ quidem composita est ex materia & formâ: & paulò post ait: Cum Aristoteles illud hîc accipiat

(γ) Com. in l. 7.

Met. c. 1. interpr.

Job. Gen. sepulveda

(z) Com. in b. l.



piat esse in subjecto, quod est sensibile & hoc aliquid, certè non diceret illud quod est in subjecto esse id quod est in materiâ. Hinc quoq;

(a) *Com. in 12. Met.* Averroës (a) duplices Substantias esse dicit, quasdam quæ habeant accidens, ut sensibiles, quasdam quæ non habeant accidens ut intelligibiles. Quò & facere videtur, quod secundum Græcos Aristoteles in prædicamentis explicat tantum Substantiam compositam. Ita enim Simplicius in *Categ. Subst.* ἡ ἀρχαία αὐτῶν, inquit, ὡς τῶν νοητῶν ἔσιων ὄν εἰπεῖν, ἀλλὰ τῶν αἰσθητῶν τὴν φύσιν καὶ τάξιν ὡσαύτως. Non propositum est ipsi de intelligibilibus Substantiis nunc dicere, sed sensibi-

(b) *in Categ. Subst.* lium naturam & ordinem nunc tradere, & Ammonius (b) ἀγαθέ- γεται ἐνταῦθα ὁ Ἀριστοτέλης ἡ ὡς τῆς ἀπλῆς, inquit, καὶ κρείτ- τον τῆς συνθέτης, ἡ δὲ γὰρ ἀρχαία αὐτῶν θεολογεῖν; ἢτε ὡς τῆς ἀπλῆς καὶ χείρον τῆς συνθέτης, ἡ δὲ γὰρ φυσιολογεῖν αὐτῶν ἀρχαία, ἀλλὰ ὡς τῆς συνθέτης μόνης i. e. disputat h. l. Aristoteles, neque de simplici atque ea quæ præstat composita, non enim de rebus divinis differere ipsi est propositum, neque de simplici atque deteriore quàm composita, (materia sc. & formâ) quia nec scribenti de naturâ instituit, sed de solâ compositâ. Quibus è Latinis

(c) *Com. in Categ. Subst.* Subscribit Boëthius (c) Cum, inquiens, tres sint substantia, materia, species, & quæ ex utrisque conficitur, undiq; composita & compacta substantia, hic neque de solâ specie, neque de sola materia, sed de utrisque mixtis compositisque proposuit. Quod igitur est in subjecto, est in Substantiâ corporeâ singulari ex mente Aristotelis ut Græci volunt; Quam tamen, si fuit mens Aristotelis, non amplectimur, cum, ut ante monuimus, absurdum non videatur, substantias spirituales dependentes ac finitas posse esse subjecta accidentium. Et prætereâ non sine ratione dubitat Toletus, an Græci in hoc mentem Philosophi fuerint assecuti, dum dicunt, eum per subjectum hîc intelligere Substantiam compositam, cum ipse tamen exempli loco hic adducat Grammaticam, quam dicit esse in animâ tanquam in subjecto. Anima autem non est substantia composita.

§. 42. Porro dicitur id quod est in Subjecto ὑπάρχον. Ubi observa auctores distinguere solere inter τὸ ὑπάρχειν ἐν

τινὸς

τινὴν εἶναι ἐν τινί. Licet enim has loquendi formulas non-  
nunquam idem esse doceant, putant tamen in strictiori signi-  
ficatione eas differre, & τὸ εἶναι latius quid esse τὸ ὑπάρχειν,  
cum ὑπάρχειν de iis tantum dicatur, quæ ita alicui insunt, ut  
de eo etiam in recto verè possint affirmari vid. l. 1. Prior. c. 36.  
Sic res Græcorum non dicuntur ὑπάρχειν, sed εἶναι in Rege,  
quia res Græcorum in recto de Rege affirmari nequeunt. Id  
igitur quod prop. in alio esse debet tanquam in subjecto, de-  
bet verè ei inesse, ita ut de eo etiam possit prædicari in recto  
& quidem concretivè seu in concreto sumtum: uti hæc ex-  
plicat Titelmannus (d) His addunt alii, quod ad subjectum,  
in quo aliquid esse dicitur, requiratur, ut sit sustentaculum, in  
quo quasi quiescat accidens. Unde licet ignis sit in ligno  
ut sine eo esse nequeat, nec etiam ejus pars sit, non tamen  
ignem in ligno tanquam in subjecto esse, cum non sit in ligno  
tanquam in sustentaculo, nec in eo requiescat, sed potius re-  
trahatur ab eo, ne sursum ad locum sibi naturalem tendere  
queat. Sed propter hoc quidem exemplum non opus erat  
hæc addere. Nam ignem esse in ligno, vel intelligitur de toto  
composito ignis, vel tantum de forma ignis. Si de formâ  
ignis, tunc dico formam ignis non esse in ligno, ut adhuc ha-  
bet formam ligni, sed esse saltem in ea ligni materiâ, à qua  
forma ligni est expulsa. In ea enim materiâ, in quâ ligni for-  
ma adhuc est, ignis forma non est, sed quamprimum ignis  
forma accedit, ligni forma expellitur. Jam licet forma ignis  
sit in materiâ ligni, ita, ut non sit pars ejus, nec etiam sine eâ  
esse queat, non tamen est in eâ tanquam in subjecto, cum ita  
insit, ut cum materiâ ligni tanquam pars unum per se consti-  
tuat, quod tamen id quod prop. in subjecto est non facit, uti  
jam audiemus. Si verò sermo sit de tota ignis substantiâ, &  
sensus hic sit, totam ignis substantiam esse in ligno, tunc est  
vel in totâ ligni substantiâ vel saltem in ejus materiâ. Sed  
non in totâ ligni substantiâ, quia ubi est tota ignis substantia,  
ibi ne minimum quidem formæ ligni relinquitur, sed quous-  
que ignis substantia penetrat, eò usque forma ligni est expul-  
sa, adeoque ligni substantia tota non adest, ubi ignis natura

D 3,

tota.

(d) in  
Dial. l. 2,  
c. 12.

tota adest. Nec etiam tota ignis substantia est in materia ligni, quæ formâ ejectâ adhuc reliqua est. Materia enim hæc cum formâ ignis totam Substantiam ignis constituit; Sed ἡ λέγεται ἐν μέρει τὸ ὅλον, ἀλλ' ἐν μέρεσι i. e. totum non in parte, sed in partibus esse dicitur. docente Ammonio in Categ. Quod autem tota ignis substantia est in partibus, per hoc non est accidens, quia non est in eis ὡς ἐν τινι, sed ὡς ἐν πῶν: quorum prius tamen ad accidens requiritur.

§. 43. Porro, quod in aliquo debet esse tanquam in subjecto, debet in eo esse μὴ ὡς μέρος non ut pars. Nimirum non debet esse pars ejus, in quo est, ut vulgò explicari solet; inò planè nullius substantiæ pars esse debet, seu ut non tantum non sit pars ejus in quo est, sed etiam ut cum eo, cui inest non concurrat tanquam pars ad constituendum unum per se, veluti bene quidam Græcorum explicant. Hinc Plotinus

(e) En. 6. ait: (e) Substantia omni corporea convenit non esse in subjecto, si l. 3. c. 5. cit. modo hoc ipsum quod est in subjecto, non oportet esse partem ejus in Iob. Bapt. quo est, nec oportet una cum eo concurrere ad aliquod unum conficiendum. Berb. se

minar. Intelligitur autem pars tum integralis, tum essentialis, eaque tam Physica ut materia & forma, quam Metaphysica ut genus & differentia, quin & subjectiva, ut species respectu ge-

(f) Com. neris: Hinc Ammonius (f) Διὰ τὸ εἰπεῖν, inquit, μὴ ὡς μέρος ἄδύνατον χωρὶς εἶναι τὸ ἐν ὅλῳ ὑπάρχον, καὶ τὸ ὡς εἶδος ἐν γένει. καὶ γὰρ τὸ δοκεῖ πῶς ὡς μέρος εἶναι τὸ ὅλον ζῷον καὶ τὸ ζῷον ὅλον τι εἶναι. Per verba hæc, non ut pars in fit, ab eo quod tum ut pars in toto est, tum ut species in genere ipsum distinguit. Nam hæc quoque videtur quodammodo ut pars esse totius animalis & animal totum esse quippiam. Quando vero dicitur, quod accidens in fit non ut pars, sensus est, quod non in fit ut pars substantiæ. Nihil enim obstat quo minus accidens v. g. color sit pars metaphysica nempe genus accidentis v. g. albedinis, non tamen in fit ut pars Substantiæ.

§. 44. Denique ut aliquid sit in altero tanquam in subjecto, requiritur, ut sit ἀδύνατον χωρὶς εἶναι τὸ ἐν ὅλῳ ut non possit existere sine eo cui inest. Ubi accuratè observandum diversa esse, accidens non posse existere sine eo, cui inest, & accidens se-

parar

*parari non posse ab eo cui inest.* Prius, accidens nimirum non posse existere sine eo cui inest, est verissimum, neque id fieri potest per naturalem, neque per absolutam Dei potentiam, uti paulò post probabitur. Accidens verò non posse separari à suo subjecto tali sc. separatione, ut utrumque separatorum remaneat in rerum naturâ, qualis est, cum ramus separatur ab arbore, itidem verum est, ut paulò post videbimus. Falsum autem est, accidens non posse separari aut sejungi à suo subjecto, tali separatione ut alterum separatorum maneat altero intereunte, Sic enim utique accidentia separari possunt à subjecto. v. g. Virtutes ab homine ita separantur nonnunquam, ut ne vel minimum earum in subjecto remaneat.

§. 45. Atque sic definitionis allatæ: *Accidens est ens, quod est in alio tanquam in subjecto, hic erit sensus. Accidens est ens quod est in Substantiâ aliquâ, non ut pars Substantiæ, nec ejus in quâ est, nec etiam alterius, & non potest existere sine eo in quo est tanquam in subjecto.*

§. 46. Huic verò definitioni non pauca obstare videntur (1) enim formæ materiales substantiales sunt revera in materiâ, non sunt pars materiæ, nec sine eâ esse possunt, quæ tamen non sunt accidentia. (2) totum revera est in suis partibus teste Philosopho 4. *Phys.* c. 3. non inest ut pars, nec potest esse sine suis partibus, siquidem iis sublatis tollitur totum, absurde autem inde colligitur totum esse accidens. (3) Deus Pater revera est in Filio, nec tamen est pars Filii, nec sine eo esse potest. Qui tamen non est accidens Filii. (4) Corpus locatum est in loco, & id quod tempore metitur est in tempore & non potest locatum à loco separari nec temporaneum à tempore. At locatum non est accidens. (5) Locus est accidens locati, nec tamen est in locato. (6.) Quicquid dicitur de subjecto est in subjecto. Sed quædam substantia, dicitur de subjecto (Secunda nempe de primâ) ergo est in subjecto, & consequenter hæc definitio non reciprocatur cum definito. Major probatur ex trito illo: *Dici de aliquo requirit inesse, ergo & dici de subjecto requirit esse in subjecto.*

§. 47.

§. 47. Sunt tamen quæ ad hæc responderi queant. Ad  
1. igitur non uno modo responderi solet. Quidam cum  
Simplicio negant formas esse *ἐν τῷ*, cum hæc vox apud Aristo-  
telem strictè sumpta notet substantiam completam qualis non  
est materia quæ ex se suaque naturâ ordinata est ad id ut  
cum forma constituat unum per se, sed juxta hanc senten-  
tiam neque formæ accidentales erunt in materiâ tanquam  
in subjecto; neque recte dixerit Philosophus in *Categoriis*,  
Grammaticam esse in animâ tanquam in subjecto, cum & a-  
(g) *l. 2. nat. quest. qu. 17.* nima sit substantia incompleta. Alexander (g) teste San-  
chiez (b) negat hanc definitionem formæ materiali Substan-  
tiali competere, quia illa particula *in aliquo* significat aliquid  
habens esse independens ab illo quod est in illo, quod non  
(b) *Com. in Arist. Log. tom. 2. qu. 3.* possit competere materiæ primæ respectu formæ, bene tamen  
Substantiæ respectu accidentium. Sohnerus, (i) putat eam  
*(i) Com. ad l. 7. Met. s. 1.* doctrinam quod formæ materiales sint substantiæ esse com-  
mentum interpretum, falsissimum in Philosophiâ peripate-  
tica. Formas enim omnes materiales, si per se ipsas secun-  
dum naturam & entitatis suæ gradum considerentur nihil  
esse nisi entia in *Categoriis* accidentium, i. e. qualitates aut  
quantitates &c. Substantias verò dici quatenus finis &  
perfectionis naturam habent in materiâ. Pro quâ senten-  
tiâ etiam citat Cæsalpinum *l. 1. Peripat. quest. 5.* Juxta hanc  
igitur sententiam hæc non obstarent definitioni acciden-  
tium. Sed quia contrarium ejus solidè probârunt nostri  
Doctores, optimè responderi posse putamus, ad accidens  
non solum requiri ut non sit ejus pars in quo est, sed & ut  
planè nullius Substantiæ pars sit, nec tanquam pars cum  
Subjecto concurrat ad constituendum aliquod tertium per  
se; quod formæ materiali Substantiali non competit, quia  
hæc cum eo, cui inest, constituit unum per se. Quam respon-  
sionem etiam suppeditare videtur Simplicius in *Categ.* ubi ait:  
*Sed nec forma est in materia velut in Subjecto. Nam quando unum  
cum alio equaliter conficit unum aliquod, non est in altero ut Sub-  
jecto.*

§. 48. Ad 2. dupliciter responderi solet. Alii enim  
ne-

negant totum prop. & revera inesse suis partibus, cum Aristoteles ipse doceat, totum esse in partibus, cum non sit extra partes, & porro dicunt, si totum prop. esset in suis partibus, idem esset in seipso. Alii verò respondent, totum non esse in suis partibus ut in aliquo, sed ut in aliquibus. Sic Ammonius in Comment. in Categ. λέγουμεν ὅτι εἰς αὐτὴν καὶ ἄλλα κοινῶν ἐν ἡ ὑπογεγραφή, ἀλλὰ ὅτι ἐπὶ καὶ τὸ ἐν τινι. ὁ δὲ λέγεται τὸ ὅλον ἐν τινι. ὁ δὲ ἐν μέρῳ τὸ ὅλον, ἀλλὰ μάλλον ἐν τινι, ἐν γὰρ τοῖς μέρεσιν i. e. dicimus igitur descriptionem licet secundum alia communis sit toti, non tamen ei convenire secundum id IN ALIQUO. Non dicitur totum in aliquo esse. Non enim totum in parte est, sed potius in aliquibus. Est enim in partibus. Eadem ratione Respondet & Simplicius; cum dicit, in subjecto, in aliquo dicens & non in aliquibus, quoad hoc separat hoc, (sc. esse in subjecto) à toto. Nam totum est in partibus, & non in aliquo, sed aliquibus.

§ 49. Ad 3. Respondemus, Aristotelem hoc mysterium non cognovisse: Interim dici potest. (1) Ad hoc ut aliquid sit in subjecto requiri, ut sit aliud à Subjecto, seu diversam à Subjecto habeat essentiam. At verò licet Pater vera sit in Filio, non tamen est in eo tanquam in subjecto, quia non est aliud à Filio seu diversam à Filio habet essentiam (2) dici potest, id quod in subjecto est, ita inesse, ut subjectum non vicissim in eo sit. At verò Pater dicitur in Filio esse; Job. V. 38. ut Filius vicissim dicatur esse in Patre, ex quo pater, Patrem in Filio non esse tanquam in subjecto, (3) id quod est in subjecto, est in aliquo finito. Cum enim DEUS sit immutabilis in eumque non cadat accidens, id quod Philosophus innuere videtur l. 1. Eth. c. 12. quando negat Deum esse ex laudabilibus, cum laudabilia propterea laudentur, quod qualitate aliqua prædita sint; facile constat quod τὸ esse in subjecto sit id quod est in aliquo finito, quo addito vel subintellecto rursus hæc definitio non competit Patri respectu Filii, quia licet sit in Filio, non tamen est in aliquo finito.

§. 50. Ad 4. Respondet Ammonius, quod licet corpora non omninò possint sine loco esse, tamen sine hoc aut

E

illo

illo loco esse posse. Sic nullum Accidens singulare potest sine hoc subjecto esse v.g. color meus non potest esse sine me, at vero hoc locatum potest esse sine hoc loco & hoc tempore. Præterea dicit Accidens requirere ad sui constitutionem subjectum ut sit. Sed locum nihil facere ad essentiam locati. Quam responsionem quoque Boëtius amplectitur in commentario suo. Simplicius respondet particulam illam *esse in aliquo* denotare inhaerentiam ejus quod est in subjecto, ita ut esse in aliquo subjecto sit alicui subjecto inhaerere, at locatum non inhaeret loco, nec temporaneum tempori. Denique ut B. Hornejus observat (k) res non est in tempore propriè, sed motus ejus tempore mensuratur & circumscribitur.

(k) *Instit.*  
*Log. l. 2.*  
*9. 7.*

§. 51. Ad 5. Resp. locus si sumatur pro loco Physico & ut secundum Philosophum est *περὸς* seu terminus corporis ambientis, revera est in corpore ambiente s. continente, licet non sit in locato. Neque enim ad accidens requiritur, ut præcisè sit in eo quod denominat, aliàs enim nihil ab accidente extrinsecè posset denominari. Hinc licet locus denominet locatum, non tamen est in eo, quia illud extrinsecè saltem denominat. Per hoc vero quod locus non est in locato, non desinit esse in subjecto, cum verè sit in corpore ambiente tanquam in subjecto.

§. 52. Ad 6. Resp. negando Majorem. Nam (1) contrarium docet Aristoteles *l. Categ. c. 2.* Quædam sc. de subjecto dici, sed in subjecto nullo esse, Substantias nempe secundas. (2) obstant extrinsecæ prædicationes. Quod enim de subjecto aliquo prædicatur extrinsecè, illud non est in illo subjecto, aliàs non prædicaretur extrinsecè. Quod verò probatur ex trito illo: *Dici de aliquo requirit inesse:* neque illud absolutè verum est ex iisdem rationibus, quæ fuerunt jam adductæ.

§. 53. Atque hæc pro explicanda accidentis descriptione sufficiant, plura qui vult, vid. B. Stahlii *questiones Log. qu. 23.* Quia verò in descriptione diximus: Accidens non posse:



posse existere sine eo in quo est, jam porro disquirere lubet: an accidentia possint separari à suis subjectis, ita ut factâ separatione reliqua maneat accidentia nec ulli imbareant?

§. 54. Notanter dicitur in quæstione, ut factâ separatione maneat. Multi enim hâc controversiâ pro affirmativâ pugnantes à quæstionis statu recedunt, & probare solent accidentia posse separari à subjecto; de quo tamen non est controversia, cum quilibet concedat accidentia posse separari à subjecto, sicut v. g. virtutes ab homine separantur, ut ne minimum earum in homine remaneat. Sed si quid probare vellent, hoc probare debebant: accidentia factâ separatione à subjecto remanere & existere s. existentiam habere. In hoc enim vertitur cardo controversiæ.

§. 55. Pontificii pro affirmativâ quæstionis tanquam pro aris & focis pugnant, utpote quâ nititur ipsorum de Transsubstantiatione figmentum, quo fingunt, panis & vini substantiam essentialiter transmutari in essentiam corporis & sanguinis Christi, remanentibus nudis accidentibus panis & vini, nempe colore, odore, sapore, rotunditate & & quantitate vid. *Concil. Trident. sess. 3. in decret. de Sacram. Eucharist. cap. 4. can. 2.* Bellarm. l. 3. de Sacram. Euchar. c. 18. tom. 3. Tannerum *disp. 5. qu. 6. dub. 1.* Lugonem *disp. 10. de sacram. Euchar. sect. 1.* Arriagam tom. 7. *disp. 38. sect. 1. p. 414.* Durandus tamen panis saltem materiam remanere existimavit teste Forbesio in *considerationibus modestis & pacificis* (l) Cum igitur ipsa eorum Transsubstantiatio cadat, si admittant accidentia non posse existere sine subjecto, hinc omnes ferè putant, accidens naturaliter quidem non posse existere sine subjecto, posse tamen per potentiam Dei absolutam. Hinc Mendoza (m) ait: Aristotelem non fuisse assecutum accidens conservari posse sine subjecto, non enim fuisse Jurisperitum omnipotentia divinx. Quidam tamen inter quos est Taretus (n) & Soncinas (o) distinguunt inter accidentia absoluta & respectiva s. relativa, qualis est v. g. paternitas, dicunt que accidentia quidem relativa non posse fieri separata, Deum tamen posse facere, ut quodcunque accidens abso-

(l) de Sac.  
Euchar.  
l. 1. c. 2.

(m) *disp.*  
13. *Met.*  
*sect. 1. §. 3.*  
(n) in l.  
*predicab.*  
p. m. 42.

(o) l. 7.  
lutum *Met. 9. 41.*

lutum esset & existeret sine subjecto. Quæ sententia etiam Scoti esse videtur in 4. sent. dist. 12. qu. unicâ. ubi hanc quæstionem, an inhærentia sit de essentiâ accidentis decidit, quoad accidentia absoluta, dicitque inhærentiam non esse de essentiâ accidentis absoluti, ut testatur Cajetanus in Comment. in Thom. de Ente & essentiâ (p) Idem, quod Tataricus & Soncinas, etiam Petrus de Palude (q) & Thomas de Argentina (r) sentiunt: Nisi quod ille inter accidentia absoluta etiam quantitatem discretam non posse esse separatam à Subjecto existimat. Hic vero præter accidens de prædicamento Relationis etiam sex illa principia, uti ille vocat, Actionem, passionem, situm, quando, ubi, habitum, it. numerum, tempus & figuram etiam virtute divinâ non posse sine subjecto existere, arbitratur.

(p) c. 7.  
qu. 15.  
(q) l. 4.  
Sent. dist.  
12. qu. 2.  
(r) l. 4.  
Sent. dist.  
12. qu. 2.

§. 56. Varia autem pro sententiâ hâc quod sc. vel omnia vel aliqua accidentia possint existere sine subjecto adducuntur à Pontificiis, aliisque, diversæ quidem religionis sed ejusdem in hâc controversiâ opinionis. Et I. quidem Soncinas l. c. necit tale argumentum: Quicquid non includit contradictionem, illud virtus DEI infinita potest. At qui calorem esse sine subjecto non includit contradictionem. E. Major ab omnibus concessa est. Minor prob. quia non includit contradictionem ex parte agentis, nec ex parte facti. Non ex parte agentis, quia ex quo ponitur quod ejus virtus sit infinita, non potest dici quod aliquid sit ei impossibile propter defectum virtutis. Nec etiam ex parte facti includit contradictionem. Nam accidens non respicit subjectum, nisi quia ex se non potest existere propter debilitatem & imperfectionem sui esse. Sed quicquid potest Substantia dare accidenti multò magis potest Deus. E. Deus potest ei dare stabilimentum sui esse sine substantiâ. Nam quicquid Deus potest facere mediante causâ secundâ, id potest immediatè. Sed Deus potest facere, quod accidens sit mediante causâ secundâ. E. id potest immediatè.

§. 57. II. Thomas de Argentina l. c. quædam accidentia posse existere sine Subjecto probat hoc argumento:  
Deus

Deus potest quamlibet creaturam absolutam in esse producere & productam conservare sine quâlibet causâ secundâ rei extrinsecâ. Sed subjectum est causa extrinseca accidentis. E. Min. prob. quia licet materia ex quâ sit causa intrinseca, tamen materia in quâ est causa extrinseca. Sed subjectum est materia in quâ accidentis. Si enim esset materia ex quâ prop. loquendo, tum esset causa intrinseca, & faceret unum per essentiam cum accidente, & per consequens homo albus non esset ens per accidens.

§. 58. III. Idem Thomas hâc ratione utitur: Potest Deus substantiam perfectam facere non per se esse. Ergo potest facere accidens absolutum non inesse. Antecedens patet de humanitate Domini nostri Jesu Christi. Consequentia etiam patet, quia sicut se habet Substantia completa ad per se esse, ita se habet accidens ad inesse.

§. 59. IV. Masius (s) de fide esse ait, accidentia in Sacramento Eucharistiæ absque inhærentiâ in subjecto existere, quod constare ait ex Concilio Constantiensi sess. 8. ubi inter varios errores Johannis Huss. ab eo condemnatos secundus fit, non esse in Eucharistiæ Sacramento accidentia absque Subjecto. Et Tannerus dicit: *Suppositâ transsubstantiatione, ipsa experientia sensuum testatur, accidentia remanere.*

§. 60. V. Gorlaeus (t) accidens existisse extra omne subjectum ex historiâ creationis deduci posse putat. Dicitur namque lucem esse conditam. Hæc erat accidens non aliqua Substantia lucida. Appellavit enim lucem Deus diem, tenebras noctem. At dies non est Substantia aliqua lucida, sed lumen productum, quod est accidens. Lux hæc in nullo erat subjecto. Quodnam quæso fuisset illud? An aër? sed ille die secundo demum producebatur. An terra? sed hæc corpus opacum. An aqua? sed hæc erat terræ permixta. Taceo quod aqua illuminata dies vocari nequeat. An cœlum primo die conditum? Sed illud est Empyreum. In eo verò non fuit hæc lux, quia in eo non fuit dies, non fuit nox, Lux vero dies vocabatur. Fuit igitur accidens extra

(x) l. 3. de Euchar. c. 24. subjectum. Pro quâ sententia etiam Bellarminus (u) Basilium & Gregorium Nazianzenum adducit, quasi docuerint lucem Solis creatam fuisse primo die, & mansisse absque vehiculo tribus diebus.

§. 61. VI. Pro hâc sententia adduci potest creatio quæ est accidens, nec tamen est in subjecto, sed existit sine subjecto cum sit productio rei ex nihilo.

§. 62. VII. Pro hac sententia tale necesse potest argumentum: Si inhærentia seu  $\tau\theta$  inesse non est de essentiâ accidentis, sequitur, quod accidens possit existere sine subjecto. Sed verum est prius. Ergo & posterius. Prius non uno modo probant. (1) Bellarminus id probare conatur ex 3. de anima c. 4. t. 9. ubi Philosophus ait, *aliud est magnitudo, aliud magnitudine esse.* Unde concludit Bellarminus: Si ipsum esse i. e. existentia accidentis distinguitur ab ejus essentiâ, multo magis inhærentia distinguetur, quæ est modus quidam existentia. (2) id probare conatur ex 4. Phys. c. 7 t. 58. Ubi, inquit, quærit Philosophus, an spacium censendum esset vacuum, ubi solus esset color ac sonus, quæ sanè quæstio inanis esset omnino, si inhærentia esset de essentiâ, qui enim diceret colorem, necessariò etiam includeret subjectum, & proinde corpus. (3) Soncinas (x) probat id h. m. Impossibile est aliquid concipi ab his quæ clauduntur in formali ejus conceptu ut patet 7. Met. t. 28. Sed accidens potest concipi absque inhærentiâ. Ergo. Major patet. Minor prob. quia quantitates sunt accidentia, constat autem quod Mathematicus consideret quantitatem per abstractionem ab omni subjecto. (4) idem ita argumentatur: Si inhærentia esset de formali ratione albedinis & cujuslibet accidentis, sequitur, omne accidens esse formaliter relativum. Sed hoc est apertè falsum. Ergo Consequentia patet, quia omne illud est respectivum, formaliter, quod includit respectum in suâ ratione formali.

(y) pref. in Categ. Accident. q. 1. (5) Masius (y) sic probat: Ante demonstrationem prænotandum est de Subjecto, quænam sit illius natura & essentia auctore Arist. 1 Post. c. 1. unde non potest essentia concludi per demonstrationem. Sed concludimus per demonstrationem



Φύσιν ἀλλ' ὡς ἐπὶ τὴν ψυχὴν ἐν τῷ σώματι, εἴη  
 αὐτῆς αὐτῆς καὶ ἀλλὰ φθορὰ, ὡς δὲ τὸ φθορὰ ἢ φθειρὰ,  
 φθειρὰ δὲ σώματι, i. e. cum animalia intereunt eorundem  
 sanitas & scientia corrumpitur. Quocirca & de animâ per hæc ra-  
 tiocinari quispiam possit. Nam si anima haudquaquam naturâ sub-  
 sistat, sed ut scientia in animâ, sic & anima in corpore sit, erit ipse  
 quoque alia quadam corruptio præter eam, quâ, cum corpus interit,  
 corrumpi solet. Ubi expressè adserit Aristoteles, corrupto  
 subjecto corrumpi quoque accidentia, & ex eo concludit, a-  
 nimam non esse in subjecto, quia sublato corpore & pereun-  
 te ipsa non intereat. Sic & Architas apud Simplicium (c) alia,  
 inquit, que dicuntur Substantia accidere, sunt ipsius Substantia ope-  
 teg. Subst. Substantia autem seipsâ, & nullius aliorum præsidio est, ideo & se  
 ipsâ sola potest subsistere sine aliis, & cum ipsa tollitur, cætera quoque  
 (d) Com. tolluntur simul. Porphyrius (d) ait: Accidens seorsum pro se  
 in prædic. sine aliquo Subjecto esse non potest, & porro: Accidens & esse in  
 cit. Job. Subjecto convertuntur Themistius (e) Accidentia, inquit, ne  
 Bap. Bern. cogitatione quidem à Substantia separari possibile est, & minus reipsâ  
 (e) 12 Met. & in paraphrasi in primum Phys. p. m. 106. dicit eos qui de nullo  
 (f) l. 7. Subjecto quantitatem dici autumant, statim hoc incommo-  
 Met. c. 1. dum impossibileque suscipere, esse aliquod accidens posse si-  
 (g) in Cat. ne subjectâ Substantiâ. Alexander Aphrodisiensis (f) idem  
 Subst. sentit. Sic enim ille: Quod si horum (accidentium) esse in-  
 (h) l. 4. hæc (Substantia) inest & aliorum quodque ob ipsam est; nec illorum  
 Met. t. 25. quicquam absque hac consistere valet. Consentit & Ammonius.  
 7. Met. t. 2. (g) Si, inquit Substantia sit, alia quoque prædicamenta sint necesse  
 (i) 1. Met. est: at nisi sit, alia subsistere haudquaquam possunt. Sic & Aver-  
 c. 28. cit. roës (h) Accidens, ait, impossibile est ut sit sine suo Subjecto. Quos  
 Ioh. Bapt. sequitur Alexander de Ales: (i) Accidentis, inquiens, quiddi-  
 Bernb. se- tas non potest habere esse separatim, quia de eius ratione est ut habe-  
 minar. at esse in alio. Rabbi quoque Aben Tybbon inter Hebræos,  
 (k) Phys. referente Albertino, de accidente sic loquitur: (k) Non est  
 c. 10. in eo vis ut esse queat nisi in sit & innitatur Substantia. In hanc  
 (l) l. 1. de quoque sententiam conspirat tota Patrum antiquitas, id  
 Sac. Eu- quod fusè Albertinus ostendit (l) ex Methodio, Irenæo,  
 char. c. 20. Tito Bostrensi, Athanasio, Nazianzeno, Basilio, Epiphano,

Au-

Augustino, Cyrillo Alexandrino, Auctore expositionis fidei inter Justini opera, Claudiano Mamerto, Leontio, Isidoro Hispalensi, Damasceno, Alcuino, Photio, Theoriano, Nicetâ aliisque, quorum verba, cum ipsi Auctores defuerint, huc transcribere non plaçuit, vide sis tamen illa apud Auctorem laudatum. Idem ex Augustino late demonstrat Petrus Molinæus *in novitate papismi* (n) quem vide si placet.

(n) l. 7.

§. 64. II. nostram sententiam tali fulcimus argumeto: *Quicquid ad ipsam rei naturam intrinsecè spectat, id salvâ manente essentiâ rei ab eâ per nullam potentiam tolli potest. Atqui tò actu esse in Subiecto spectat ad ipsam accidentis naturam intrinsecè. E. Salvâ manente essentiâ accidentis ab eâ tolli non potest.* Major suâ luce radiat. Si enim id quod, ad rei naturam spectat, posset à re salvâ manente ejus essentiâ tolli per ullam potentiam, aut posset per finitam aut per infinitam potentiam. Sed per neutram fieri potest, cum neutra ad impossibilia & quæ contradictionem implicant se extendat. At vero manifesta est contradictio, id quod ad rei essentiâ spectat salva manente essentiâ tolli posse, cum sic maneret & non maneret salva essentia. Minor itidem clara est. Sicut enim per se & sine Subiecto existere est de ratione & essentiâ Substantiæ, ita non per se, sed in Subiecto existere est de ratione ejus quod Substantiæ opponitur, nempe accidentis, oppositorum enim oppositæ sunt essentiæ. Huc accedit, quod tò esse ens in Subiecto est primus conceptus accidentis, quo prior non datur, nec prior concipi potest. Id vero, quod primò in re concipitur, vel ad primum conceptum pertinet, est essentia vel saltem de essentiâ rei. Nec hætenus quoque diversum quid, quod nempe tò esse in subiecto non fit de essentiâ accidentis, ab adversariis solidè nobis est probatum, ut inferius ad oculum patebit. Stat igitur Conclusio, quod accidens salvâ manente essentiâ accidentis per nullam adeoque nec absolutam Dei potentiam sine Subiecto existere possit. Et sicuti contradictionem implicat Deum facere substantiam, quæ non per se existat; sed fit in subiecto, ita & contradictionem implicat, accidens sine Subiecto existere.

Cont. XI.

c. XI.

F

§. 65.

§. 65. Excipiunt hinc quidem distinguendo inter *aptitudinalem seu potentialem* (uti loquuntur) & *actualem inhaerentiam*, & dicunt de ratione accidentis non esse actualem, sed saltem potentialem inhaerentiam, ita ut accidens per hoc sit accidens, quod potest esse in Subiecto seu ipsi accidere, non verò requiri, ut actu insit. Sed reponimus ipsis, quod res non denominentur prop. ab eo quod esse possunt; Sed ab eo quod sunt, alioquin diceretur lapides esse filios Abrahamæ, quia possunt fieri filii Abrahamæ, pauperem esse divitem, quia dives esse potest, quæ tamen suâ absurditate se everunt. Hinc & aptitudo ad inhaerendum s. accidendum, id tantum præstat, ut aliquid accidens esse possit, non verò ut accidens sit. id quod ex ipsis adversariis agnovit Baronius *ad ann. 496. n. 15.* ubi inquit: *Quoniam pacto vocis convenit proprietati, ut id accidens dici possit quod non est in Subiecto? Si accidens cui accidit? Si non accidit neq; in Subiecto est, quomodo prop. accidens esse potest? Et fanè sicuti nemo dixerit sufficere ad Substantiam si possit per se & sine Subiecto existere, licet non semper sine Subiecto existat actu, ita ad accidens non sufficere dicendum est, ut possit esse in Subiecto. Unde Aristoteles non dicit, Accidens posse esse in Subiecto, sed esse in Subiecto. Huc accedit, quod actus quamvis supponat potentiam, nunquam tamen formaliter dicat potentiam nec pro illâ ponatur, aliud enim est potentia, aliud actus. Atqui accidere s. esse accidens actus est, seu actum dicit formaliter, sicut & ridere. E. non dicit simpliciter potentiam seu aptitudinem inhaerendi, sed inhaerentiam actualem: *Dicit: Quicquid est naturâ prius altero, in eo potius essentia rei consistet, quam in altero quod est naturâ posterius. Sed ratio aptum esse ut aliquid sit in Subiecto est naturâ prius ratio esse in Subiecto. E. in ratio aptum esse ad esse in Subiecto potius essentia accidentis consistet, quam in ratio esse in Subiecto. Maj. prob. quia essentia est id quod primò in re concipitur. Min. prob. quia à ratio posse esse in Subiecto non recipitur essendi consequentia: rectè enim infertur quidem: Hoc est in Subiecto E. aptum est ut sit in Subiecto, sed non vicissim: Hoc**



Hoc aptum est ut sit in subiecto. E. est in subiecto, quia à posse ad esse affirmativè non valet Consequentia. A quo autem non recipitur essendi consequentia, illud est naturâ prius, ut in Logicis docetur. Sed Respondemus, Majorem absolutè non esse veram. Si enim Major hæc absolutè vera esset, similiter concluderem in causâ efficiente hominis esse ejus constituendam essentiam. Causa enim efficiens hominis est naturâ prius quid, quàm esse animal rationale. At vero causam efficientem hominis essentiam ejus esse nemo sanæ mentis asserere sustinebit. Similiter nulla rectè sese haberet definitio, quâ res non definiretur per aptitudinem ad suam differentiam specificam, quia in omni re aptitudo ad esse hoc vel illud est naturâ prius quid quam  $\tau\delta$  esse hoc vel illud. Et sic homo non rectè definiretur quod sit animal rationale, sed quod sit animal aptum ut sit rationale: Hoc vero est contra receptam omnium Doctorum sententiam. Quod igitur probationem attinet, quâ Major stabilitur, ad eam Respondemus, quod, quando dicitur, essentiam esse id quod primò in re concipitur, non sensus sit, omnne, quod quocunque modo est primum, esse essentiam rei, sed quod est primum ratione causalitatis, seu per quod res concipitur primò constitui intrinsecè in esse talis rei, & quod reliquorum omnium attributorum est causa e. g. animal rationale est essentia hominis, quia per id homo concipitur primò constitui intrinsecè in esse hominis: & ex eo omnia hominis attributa fiunt. Hinc si Major vera esse debet, ita est limitanda: Quicquid ita est prius altero, ut per id res primò & intrinsecè in esse talis rei constitui concipiatur, omniumque attributorum radix & principium est, in eo potius essentia rei constituenda est, quam in altero quod h. m. est posterius. Verum sic negatur Minor, quod sc.  $\tau\delta$  posse esse in subiecto, ita sit prius  $\tau\delta$  esse in subiecto, ut per id accidens primo & intrinsecè in esse accidentis constitui concipiatur. Quod enim rem primò & intrinsecè in esse suo constituit, eo posito res ipsa, quæ n constituere dicitur, ponitur. At vero posito  $\tau\delta$  posse esse in subiecto seu posse accidere sub-

jecto, nondum aliquid est in subjecto seu accidit vel est acci-  
dens subjecto. A posse enim ad esse non valet consequen-  
tia. Sanè de calore, qui non est, verè possum dicere, quod  
possit esse in subjecto. Calor autè qui non est, nō est accidens,  
cum accidens sit quoddam entis inferio. Non igitur posito rō  
posse esse in Subjecto ponitur ipsum accidens, vel dicendum  
erit calorem, qui non est esse accidens, & per consequens ens,  
quod absurdum est. Manet ergo per rō posse esse in Subje-  
cto, accidens primò & intrinsecè in esse accidentis non con-  
stitui, vide etiam quæ paulò ante differuimus.

(o) qu. 77.  
c. 1. in Re-  
spons. ad l.  
s. obj. cit.  
Alb. l. c.

§. 66. III. Assertioni nostræ robur addimus hoc argu-  
mento: *Si accidens posset existere sine Subjecto, per se existeret, &  
per consequens accidens esset ens per se existens seu Substantia, Con-  
sequens verò est falsum & absurdum. E. & Antecedens. Conne-  
xio majoris probatur, quia existere sine Subjecto est nihil a-  
liud quàm per se existere, & ut rectè Gamachæus ipse Ponti-  
ficius (o) notat, duo isti modi (per se nempe & in alio) sunt im-  
mediatè oppositi, & quicquid non est actu in alio, debet esse  
actu per se, atque è converso &c. neque medium ullum a-  
ctuale recipiunt. Si autem accidens per se existit, erit sub-  
stantia; Cum ipsi competat essentia substantiæ, quæ est per  
se existere, citra quam alia substantiæ essentia vix fingi pot-  
est. Agnovit hanc consequentiam Petrus de Alliaco 4. Sent.  
qu. 6. ubi dicit, quod si accidens strictè sumatur pro aliqua re  
seu entitate quæ non est Substantia, connotando quod talis  
alteri alicui entitati accidat (quomodo utiq; sumendum est,  
cum de accidente prædicamentali, quod Substantiæ contra-  
distinguitur, hîc quæstio sit) tunc albedinem panis & quodvis  
ei accidens, licet possit separari à subjecto, tamen quando est  
separatum, non esse accidens. Ubi concedit disertè acci-  
dens separatum non esse accidens prædicamentale, quod sub-  
stantiæ contradistinguitur, erit igitur substantia. Hoc au-  
tem, quod nempe accidens sit substantia, absurdum & falsum  
esse nemo negabit, nisi cerebrum gestet in calcaneo, aut ad-  
mittat, accidens esse accidens & non esse accidens, & sic ne-  
get principium illud: Impossibile est idem simul esse & non  
esse,*

esse, quâ ratione contra eum tanquam negantem principia non erit disputandum.

§. 67. Hic adversæ partis affectæ miro se torquent modo. Bellarminus Respondet; Accidentia illa separata esse in se & non subsistere, quia sunt in se negativè, non positivè. *Nam ideo, inquit, dicuntur esse in se, quia non sunt in aliquo supposito, & tamen revera non subsistunt per actum positivum, qualis manat ex naturis substantialibus &c.* Hoc igitur vult Bellarminus, accidens per id quod per se est nondum esse Substantiam, cum substantiæ modus per se existendi sit positivus, accidentis vero talis negativus. Sed cum modus existendi substantiæ, qui est per se existere, & modus existendi accidentis, nempe *non esse* in subjecto, involvant rationes contradictorias, facile patet, quod de quo negatur modus existendi accidentis, de eo affirmetur modus existendi substantiæ. Quæ enim involvunt rationes contradictorias sub aliquo genere vel superiori, ea sunt immediata in ordine ad illud genus vel superius, ita ut nullum possit dari sub tali superiore contentum, de quo non alterum eorum, quæ contradictorias rationes involvunt, prædicetur, si alterum de eo negetur, sicut de quocunque animali negatur brutum, de eo affirmatur homo. Cum igitur de accidente separato, vi & naturâ oppositionis, affirmetur modus existendi substantiæ, sequitur quod sicuti modus existendi substantiæ est positivus, ita & accidentis, cui competit modus existendi substantiæ, itidem sit positivus. Præterea *non esse in subjecto* si de ente aliquo affirmetur, necessariò arguit modum quendam positivum. Quid enim est, Ens aliquod non esse in subjecto, quàm illud habere existentiam in se, independentem à subjecto, existentia autem per se & independens est positivum quid, à nobis conceptum cum negatione, veluti animal non rationale est positivum quid sub negatione conceptum: Viderunt hoc Suarez *disp. 57. sect. 2.* Vazquez. *disp. 194. c. 2.* & Cardinalis Lugo *de Sacram. Euchar. disp. 10. sect. 1.* Qui hanc Bellarmini sententiam ipsi rejiciant, inter alia hâc usi ratione, quod negari non possit, modum illum quo quantitas in Eucharistiâ

stia existit perfectiorem esse inhaerentia. E. ille modus non est simplex negatio inhaerentis, cum hac minus perfectionis dicat, quam inhaerentia, quae est modus positivus. Plura vid. apud illos l. c.

§. 68. Lugo l. c. Respondet, quod accidentia in statu separationis sint *per se per modum positivum non substantialem sed accidentalem & sibi proportionatum*. Sed si modus ille est accidentalis, aut est entitas a quantitate distincta aut non distincta. Sed neutrum horum dici potest. Non dici potest quod modus ille sit entitas non - distincta a quantitate. Quaecunque enim separari possunt, ea realiter differunt. Jam vero modus ille separatus fuit a quantitate, antea enim non aderat, sed postea demum supernaturaliter vel alio modo fuit inditus, uti ipsi fatentur, quantitas vero aderat. Modus igitur ille non erit non distincta entitas a quantitate. Nec etiam dici potest quod sit entitas realiter distincta a quantitate. Si enim hoc, tunc novum erit accidens, si novum accidens, non magis quantitas per illud subsisteret quam per seipsam, & semper quareretur, quomodo novum hoc accidens subsisteret, sicque fieret processus in infinitum. Porro modus ille accidentalis aut est in quantitate tanquam in subiecto, aut quantitas est in eo tanquam in subiecto, aut neque ille in quantitate, neque quantitas est in ipso tanquam in subiecto. Si modus ille est in quantitate tanquam in subiecto, accipit ab illa existentiam, non vero dat aut communicat eam ipsi quantitati. Quicquid enim est in subiecto, accipit ab eo, in quo est, existentiam, non vero illi dat existentiam, id quod inde patet, quia id, quod est in subiecto, ideo est in subiecto, quod tam imbecillum existendi modum habet, ut requirat subiectum in quo suam existentiam tueatur, tantum igitur abest ut ipsum subiecto det existentiam, ut potius ejus existentia subiecto accepta sit ferenda. Si vero quantitas illi modo inesset tanquam subiecto, quantitas non existeret per se, quod tamen est contra Lugini hypothesis, ut taceam, accidens accidentis non esse subiectum. Si vero neque quantitas modo illi, neque modus ille quantitati inexistit tanquam subiecto, & modus & quan-

quantitas erunt substantia: quod tamen falsum, quia modus secundum Lugonem est accidentalis seu accidens, & quantitas etiam secundum communem Scholasticorum sententiam est accidens. Futile igitur & vanum esse apparet, quod Lugo affert de differentiâ modi per se existendi accidentis separati, & substantiæ, quod nempe ille sit accidentalis, hic substantialis. Illum enim modum per se existendi accidentis separati non esse accidentalem probatum dedimus, erit igitur substantialis, adeoque firma manebit collectio argumenti nostri, quô id absurdum colligitur, accidens si sine subiecto existat per se existere adeoque esse substantiam.

§. 69. Vazquez, quem sequitur etiam Becanus, respondet *l. 1.* Quantitatem in hoc Sacramento ita mutari, ut non cum solâ negatione subiecti, sed cum modo positivo, quem vocare possumus per se existendi, non quidem proprio substantiæ, sed simili in hoc Sacramento supernaturaliter, & novâ actione à Deo conservetur. Et *n. 17.* ostendit, quale discrimen sit inter modum existendi per se qui naturaliter convenit substantiæ, & qui communicatur quantitati, & cæteris accidentibus communicari potest supernaturaliter. In eo nimirum differre, quod modus substantiæ per se sit causa negationis existendi in alio, sicut una forma est causa negationis oppositæ formæ: At vero in Sacramento Eucharistiæ negationem existendi in subiecto quæ convenit quantitati non provenire à modo existendi per se, sicut à causâ & formâ oppositâ. Quia nimirum ex parte causæ efficientis primum destruat subiectum accidentium, deinde maneant accidentia negato modo existendi in illo, & tandem consequantur modum positivum existendi per se. Hæc Vazquez. Sed nihil ferè solidi hæc continent. Primo enim quod modus ille positivus per se existendi, quem tribuit accidenti separato, non sit saltem similis, sed proprius substantiæ, eodem probamus argumento, quo antea contra Bellarminum sumus usi. Deinde argumentamur h. m. Cuicunque competit ipsa differentia propria substantiæ, illud non est

est saltem simile substantiæ, sed ipsa substantia. Atqui acci-  
denti separato competit differentia propria substantiæ, nem-  
pe  $\tau\theta$  per se existere, aliam enim differentiam propriam sub-  
stantiæ hætenus non vidimus. Accidens separatum igitur  
erit substantia nec saltem simile substantiæ seu per modum  
substantiæ: Et sane sicut nemo admittet Deum posse facere  
Brutum aliquod quod quidem sit rationale, non tamen sit  
homo sed saltem simile homini, ita nec admittendum Deum  
posse facere accidens, quod quidem per se existat, non sit  
tamen substantia, sed saltem simile substantiæ: quia sicut dif-  
ferentia hominis propria est  $\tau\theta$  rationale, ita & differentia  
propria substantiæ est  $\tau\theta$  per se existere, uti ipse Vazquez &  
omnes ferè scholastici uno ore fatentur. Sed admittamus  
hunc modum existendi per se accidentium esse saltem simi-  
lem modo per se existendi substantiæ, erit igitur inter mo-  
dos hosce differentia, *quia quod alteri simile est, non idem est cum  
eo cui est simile*, ut docet Athanasius *contra hypocris. Meletii*. Jam  
vero nulla hætenus adducta est differentia, quæ quidem  
efficiat, quo minus modus per se existendi accidentium se-  
paratorum constituat ea in esse substantiæ. Nam quod  
Vazquez ait, in hoc differre modum per se existendi sub-  
stantiæ, & modum per se existendi, qui quantitati in Eucha-  
ristiâ communicatur, quod ille sit causa negationis existendi  
in alio, sicut una forma est causa negationis oppositæ formæ,  
hic verò non sit h.m. causa negationis existendi in alio; id  
tam facilè à nobis negatur quàm ab eò asseritur. Cur e-  
nim, si modus per se existendi substantiæ est causa negationis  
existendi in alio, ut una forma est causa negationis opposi-  
tæ formæ, non eodem modo id esse possit modus per se exi-  
stendi accidentium, rationem nullam videmus. Probat Vaz-  
quez, quia si accidentia separantur, prius sunt sine subjecto  
quàm per se existunt. Sed id impossibile est, cum non pos-  
sit concipi aliquid existere sine subjecto, ut tamen non simul  
per se existat. Si enim non existit per se, nullo modo potest  
existere sine subjecto, cum  $\tau\theta$  existere sine subjecto, præsup-  
ponat alterum nempe  $\tau\theta$  existere per se. Et sanè existere  
sine

sine subiecto, & tamen non existere per se manifestam involvunt contradictionem. Sed posito, non verò concessio, accidens posse prius existere sine subiecto, postea verò demum consequi modum positivum per se existendi; inde sanè nihil aliud sequetur, quam quod ille modus per se existendi non sit causa negationis  $\tau$  esse in subiecto, quæ cum antecedit. Sed hæc ratione non differet à modo per se existendi substantiæ, cum neq; hic sit vel esse possit causa negationis  $\tau$  esse in subiecto, si quæ cum præcedat vel præcedere possit. Interim ex eo nullo modo sequitur, modum per se existendi accidentium non esse causam negationis in subiecto se consequentis: Sicut enim ad  $\tau$  per se existere substantiæ necessario consequitur negatio  $\tau$  esse in subiecto, ita & ad per se existere, si accidenti competit, necessario negatio illa consequetur, nullam etiam, quæ id impediatur, videmus rationem.

§. 70. Nec majoris momenti est differentia, quam Cardinalis Lugo adducit, qui modum per se existendi, qui ex ipsorum hypothese accidentibus communicatur, & modum per se existendi substantiæ in hoc differre ait, quod accidentia  $\tau$  per se esse non habeant ex naturâ suâ: verba ejus n. 20. hæc sunt: *Accidentia quia  $\tau$  per se esse non habent ex naturâ suâ, ideo etiam in eo statu non sunt substantia.* Ut verò quid de hoc sentiendum sit pateat, sciendum, quod res aliqua variis modis aliquid ex naturâ suâ habere dicatur: Interdum enim id res ex naturâ suâ habere dicitur, quod ipsi essentialiter competit, interdum id quod habet tanquam proprium quod ex rei naturâ fluit & cum eâ recipitur: nonnunquam vero id dicitur habere ex naturâ suâ, quod habet per ordinarium naturæ cursum, non vero modo supernaturali: Interdum denique quod quis habet ex viribus sibi connatis vel concreatis. Sed quocumque modo Cardinalis hæc phrasi utatur nihil obtinet. Si enim priori modo sumit prout  $\tau$  ex naturâ suâ habere idem est ac essentialiter habere, sensus ejus sententiæ huc redit, quod modus existendi per se accidenti quidem competat, sed non  
G essen-

essentialiter, substantiæ verò essentialiter. Verùm primò hæc differentia non efficit, quò minus accidens sit substantia si per se existit: Cuiusque enim competit essentia, illi ipsa res competit, quocunque etiam modo competat: Sic cui competit *τὸ esse animal rationale*, quocunque etiam modo, ei competit etiam quod sit homo, cum impossibile sit essentiam à re, cuius est essentia, separari; Unde si *τὸ per se existere*, quod essentialiter substantiæ competit, accidenti quoque competit, necessario etiam ipsi competet ipsa substantia, & sic accidens erit substantia, quocunque etiam modo ipsi *τὸ per se* competat. Deinde hæc, *τὸ per se existere* scilicet competere substantiæ essentialiter, accidenti verò etiam quidem competere sed non essentialiter, sese mutuò evertunt. Non enim apparet, quomodo id quod alicui rei essentialiter & quidem tanquam differentia specifica competit, potest etiam alteri rei à se distinctæ ullo modo competere. Sane animal rationale essentialiter competit homini, nulli etiam competit nisi quod homo est. Id enim quod alicui essentialiter tanquam differentia specifica competit, distinguit eam ab aliis omnibus, quæ non sunt ipsa res. Jam verò si & alicui à se distinctæ rei competeret, non apparet quomodo eam distingueret ab aliis, & sic esset differentia specifica & non esset differentia specifica, quod contradictionem implicat. Unde si *τὸ per se existere* competit substantiæ essentialiter, vel constituit ejus conceptum communem, vel conceptum proprium scilicet differentiam specificam. Sed non conceptum communem, ille enim est ens E, conceptum proprium scilicet differentiam specificam. Si autem constituit conceptum ejus proprium, nullo modo accidenti tanquam rei à se maximè distinctæ competere potest, cuius sequelæ ratio ipsis solis radiis est illustrior. Ut adeo Cardinalis, dum vult differentiam modi existendi per se, qui secundum ipsum accidenti competit, & modi per se substantiæ competentis assignare, suam potius sententiam, si hoc quidem sensu intelligat, evertat, quod nempe *τὸ per se existere* planè non competit accidenti: Si vero Lugo *τὸ ex naturâ suâ habere* secundo



cundo modo sumit prout idem est ac aliquid habere tanquam proprium, quod ex naturâ & essentiâ suâ fluit & cum eo recipitur; sensus ejus sententiæ hic erit, quod *per se existere* competat quidem accidenti, sed non tanquam proprium, substantiæ verò competat tanquam proprium. Sed h. m. rursus suam evertit sententiam, quod nempe *per se existere* planè non competat accidenti. Quod ut appareat, sciendum, quod proprium alicujus rei non possit alteri à se distinctæ rei immediatè competere, sic enim non maneret proprium sed fieret commune. Potest tamen alteri à se distinctæ rei competere mediatè, mediante sc. eâ re, cujus est proprium, idque propter unionem, si sc. arctissimè cum eâ uniat. v. g. *Calor* tanquam proprium ignis non potest ferro immediatè competere, potest tamen competere mediatè, nempe mediante igne, qui cum ferro arctissimam habet unionem. Quia igitur *per se existere*, secundum hypothesin Lugonis (si sc. *per se existere* ex suâ naturâ habere in secundâ significatione accipiat) est proprium substantiæ, non potest accidenti competere immediatè, cum, uti dictum, nullum proprium alicujus rei possit rei à se distinctæ immediatè competere, competet igitur mediatè mediante sc. substantiâ, propter unionem substantiæ cum accidente. At vero Pontificii hinc nullam unionem accidentis cum substantiâ agnoscunt. *Per se existere* tanquam proprium substantiæ non competit accidenti mediatè. Si autem nec immediatè nec mediatè accidenti competit, planè non competit, cum medium non detur, quod rursus evertit sententiam Lugonis. Porro si Cardinalis *per se existere* ex naturâ suâ habere sumit tertio modo prout idem est ac aliquid habere secundum ordinarium naturæ cursum non vero modo supernaturali. Sensus ejus sententiæ huc redit, quod accidentia per se existant non secundum ordinarium naturæ cursum, sed modo supernaturali, Substantia autem per se existat secundum ordinarium naturæ cursum. Sed hæc differentia est extrinseca, quæ intrinsecè hos modos non mutat, nec efficit, quo minus uterque modus id cui competit in esse substantiæ constituat. Est enim

hæc differentia desumpta à principio productivo horum modorum extrinsecò. Sicut autem principium rei extrinsecum ejus essentiam non ingreditur, ita eam quoque essentialiter non mutat. Sic si Deus Abrahamo ex lapidibus filios excitaret, illi tam verè essent homines, quàm alii qui secundum ordinarium naturæ cursum sunt homines, licet ipsi filii non secundum ordinarium naturæ cursum sed supernaturali modo sint homines. Eodem modo & accidens, licet supernaturali modo per se existat, tamen tam verè erit substantia, quàm ipsa substantia, quæ secundum ordinarium naturæ cursum talis est. Eadem enim utrobique est ratio. Unde per hanc differentiam Cardinalis se non liberat ab absurdo, quod nempe accidens, si per se existat, sit substantia. Si autem denique *τὸ ex naturâ suâ habere* ipsi idem est, quod ex viribus suis connatis aliquid habere, sensus hic erit: quod accidens *τὸ* per se existere non habeat ex viribus connatis: Substantia vero id habeat ex viribus connatis. Sed huic differentiæ idem opponi potest quod priori, cum fermè cum eâ coincidat. Sensus enim est, quod accidens habeat vires per se existendi non à naturâ, sed supernaturali modo collatas, substantia vero eas habeat à naturâ collatas. Unde manifestum, quod sicut hæc differentia à principio extrinsecò desumpta est, ita intrinsecè rem non mutet. Sane si Deus jam crearet substantiam, ea haberet vires per se existendi non à natura sed supernaturali modo collatas, nihilominus tamen vere esset substantia æquè ac illa, quæ habet easdem à naturâ collatas. Cur igitur accidens, si per se existat, per vires supernaturali modo collatas, non sit substantia non videmus. Patet igitur quod quomocunque Lugo sumat *τὸ ex naturâ suâ habere* eum vel plane suam sententiam evertere, vel nullam afferre differentiam, quæ tollat absurdum illius consequentis, quod nempe accidens, si per se existat, sit substantia.

§. 71. IV. Pro nostrâ sententia ita argumentamur: Si accidentia possunt esse sine subjecto, sequitur quod dari possit læsio cruris sine crure, visio oculi sine oculo, morbus cor-

corporis sine corpore, Ecclipsis Lunæ sine Lunâ, sanitas animalis sine animali & innumera ejusmodi, quæ absurdissima & impossibilia esse nemo, nisi præoccupatus non videt.

§. 72. In specie V. contra Pontificiorum sententiam, quod nempe in Eucharistia accidentia panis & vini sint sine subjecto, argumentamur h.m. Si accidentia panis & vini in Eucharistia sunt sine subjecto, sequitur quod, si hostia vel calix veneno imbuantur, sicuti Papa Victor III. teste Platina, & Imperator Henricus VII. calice venenato sublatis sunt, vel ipse color, sapor, rotunditas aliaque accidentia panis & vini, vel ipse Christus veneno imbuatur, quæ ridicula partim, partim absurda esse quilibet videt: sequitur porro, quod, si calix vel contentum calicis congelascat, vel hostia situ corrumpatur, etiam ipse Christus congelascat & situ corrumpatur, vel si hoc ipsis non placet, dicendum mathematicam aliquam longitudinem & latitudinem congelascere & situ corrumpi, quod sane maximè ridiculum est. Es wäre eben so viel/ inquit Molinaus *in novitate papiani*, als wenn einer sagete/ die trianguli oder die pentagoni des Euclidis, oder auch daß blaue an Himmel/ und daß rumpeln einer alten Brücken erfroren oder verschimmelten.

§. 73. Probata igitur nostrâ sententiâ opposita sunt examinanda argumenta. Ad 1. igitur, quod Soncinatis est, Resp. neg. Minorem, quod sc. non includat contradictionem accidens esse sine subjecto. Oppositum sanè ex præcedentibus satis patet. Ad probationem Resp. negando, quod ex parte facti nempe accidentis non includat contradictionem ut sit sine subjecto. Si enim accidens esset sine subjecto, per se existeret essetque substantia, adeoque esset accidens & non esset accidens. Sed probat Soncinas: Quicquid substantia dare potest accidenti, multò magis potest Deus. Atqui substantia dare potest esse accidenti. E. multò magis Deus id dare poterit. Sed probatio hæc nihil probat. Nos enim lubentes concedimus Deum posse accidenti esse dare, probandum autem erat Deum posse acci-  
G 3. denti.

denti dare esse sine subiecto, id quod ex hoc argumento mi-  
nimè sequitur: probat autem Soncinas h. m. Quicquid  
DEUS potest facere mediante causâ secundâ, id potest im-  
mediate. Sed DEUS potest facere, ut accidens sit, mediante  
causâ secundâ. E. id potest immediatè. Sed neque hæc  
ratio quidquam probat. Si enim *τὸ immediatè facere* in ma-  
jore idem est ac immediatè aliquid facere vel immediatione  
suppositi, vel immediatione virtutis, conceditur totum argu-  
mentum, quod sc. DEUS immediatè facere possit, imò faciat  
ut accidens sit. Sed ex eo non sequitur, quod illud faciat  
sine subiecto. Licet enim DEUS concurrat cum subiecto ad  
esse accidentis, per hoc tamen non definit esse causa imme-  
diata. Sicuti quando DEUS cum omnibus creaturis con-  
currit, est & manet causa immediata & immediatione virtu-  
tis & immediatione suppositi, etiamsi creaturæ cum eo a-  
gant, uti Metaphysici docent in doctrina de concursu DEI.  
Si vero *τὸ immediatè facere* in Majore idem est, ac sine altero  
concurrente facere, ut sensus Majoris huc redeat: *Quic-  
quid DEUS potest facere cum causâ secundâ, id potest facere sine  
causâ secundâ.* Sic ea negatur & multis instantiis infringi  
potest. Multæ sanè sunt actiones v.g. edere, bibere,ambu-  
lare &c. ad quas DEUS cum creaturis concurrat, quas tamen  
sine illis nullo modo potest efficere. Sic DEUS potest cum  
causâ secundâ producere hominem, qui sit ab homine pro-  
ductus. At verò impossibile est ut DEUS faciat hominem,  
qui sit ab homine productus sine causâ secunda.

S. 74. Quod II. quod est Thomæ de Argentinâ, atti-  
net, illud in bonâ forma tale erit: *Quicquid est ens absolutum,  
illud DEUS potest facere sine quâlibet causâ secundâ rei extrinsecâ.  
Atqui accidens est ens absolutum. E. DEUS id poterit facere sine  
quâlibet causâ ipsi extrinsecâ, & per consequens sine subiecto, quia  
subiectum est causa extrinseca accidentis.* Sed h. m. negamus  
Minorem, quod nempe accidens sit ens absolutum, accidens  
enim essentialem involvit respectum ad subiectum, unde  
etiam fit, ut in omni accidentis definitione subiectum appa-  
reat. Hinc &, cum accidens vi essentia suæ dependentiam  
à sub-

à subjecto dicat, non potest Deus salvâ essentiâ ejus facere, ut sit sine subjecto. Deinde & Major non omninò vera esse videtur, si *τὸ absolutum* sumatur prout opponitur relato prædicamentali. Sane rosa à sole generata est tale ens absolutum, nec tamen Deus potest facere rosam à sole generatam sine sole, licet sol sit ejus causa extrinseca. Quod si *τὸ absolutum* aliter sumatur, prout nempe opponitur relato transcendentali, nullum ferè ens absolutum erit, & frustra hæc limitatio in Majore addetur.

§. 75. Ad III. quod rursus est Thomæ de Argentina, Resp. neg. antecedens unâ cum probatione. Falsum enim est quod *τὸ per se existere* possit à substantiâ separari; Falsum quoq; est, quod humana Christi natura non per se existat. Non quidem per se subsistit i. e. propriam subsistentiam habet, per se tamen existit i. e. non est in alio tanquam in subjecto. Observa igitur *τὸ per se subsistere & per se existere esse diversissima*. Per se enim subsistere est solitariè existere, & certum suppositum constituere; per se autem existere nihil aliud est quam non esse in subjecto. Prius illud non est de essentiâ substantiæ, dantur enim v. g. *substantiæ secunda s. universales* quæ planè non subsistunt h. e. supposita sunt: Supposita enim sunt entia singularia incommunicabilia. Posterius vero nempe per se existere est de essentiâ substantiæ, nec ulla poterit ostendi, quæ non per se existat i. e. quæ in subjecto sit.

§ 76. Quod IV. à Masio allatum attinet, qui id de fide esse asserit, quod accidentia in Sacramento Eucharistiæ absque subjecto existant, dicimus ejus assertionem esse falsissimam, & niti unico Transsubstantiationis figmento, quam tamen & contra fidem & ipsos sensus nostros esse, ad oculum ostendunt Nostrates Theologi, ad quos Benevolum Lectorem, cum aliena sint à nostrâ cathedrâ, remittimus. Masius sanè ineptus est, qui id de fide esse probat ex eo, quod in Concilio Constantiensi condemnata sit ea sententia, quod accidentia non possint esse sine subjecto: quasi vero ea statim de fide sint, quorum oppositum à concilio aliquo hominibus errore imbutis

butis constante damnatum est, cum ne id quidem, quod à concilio aliquo ex orthodoxis constante decernitur, de fide sit, cum in tali Concilio sæpe fuerit decretum de ceremoniis & ritibus, de disciplinâ Ecclesiastica, aliisque quæ non sunt de fide, ut à Theologis nostris accepimus. Tannerus itidem ineptus est, quando dicit supposita Transubstantiatione ipsam sensuum experientiam testari, accidentia remanere. Nos enim experientiâ sensuum agnoscimus quidem ipsa accidentia panis & vini, sed probare debebat Tannerus ea seorsim sine substantiâ panis & vini manere, quod cum non possit, etiam ad Transubstantiationem dilabitur, quæ cum non detur, uti ex scripturâ solidè probant nostri Theologi, facilè patet, quid huic fundamento possit superstrui.

§. 77. Ad V. Respondemus, posito lucem illam primò die conditam fuisse accidens, falsum tamen est quod non fuerit in subjecto. Bene enim esse potuit in cœlo ætherio primò die creato. Audiamus Estium *in annot. ad Gen. 1. v. 3.*

(p) cit. (p) Probabilissimum, inquit, videtur per illam lucem intelligi vel  
Forb. con- corpus aliquod lucidum, vel potius ipsam qualitatem lucis magnâ  
sid. mo- cœli parte diffusam, quæ quidem lucida cœli pars deinde fuerit instar  
dest. & materia, ex quâ postea in partes distributâ, & veluti in igneos glo-  
pacif. de bos condensatâ, Sol, Luna, ceteraque stella facta fuerint. Quod  
sacr. Eu- verò Gorlæus dicit cœlum illud primò die creatum non po-  
char. c. 2. tuisse subjectum lucis esse, cum illud fuerit cœlum Empy-  
§. 11. reum, ad id Resp. 1. Cœlum illud Empyreum esse figmen-  
tum, ut accurate probatum dedit Excell. Posnerus, Præce-  
ptor noster plurimùm observandus, *in disputatione peculiari de*  
*Cœlo Empyreo.* 2. posito quod detur Cœlum Empyreum, unde  
firmiter probabitur, cœlum primò die creatum esse cœlum  
Empyreum, cum de eo nihil extet in historiâ creationis, &  
nihil obstet, quò minus per cœlum illud, cœlum æthereum  
intelligamus, uti nos more suo i. e. accuratè informavit ma-  
ximè venerandus Præceptor noster Dn. D. Musæus *in prælect.*  
*publicis ad cap. 1. Gen.* Frustra verò pro hâc sententia Bellar-  
minus Basilium & Gregorium Naz. adducit, uti solide osten-  
dunt Albertinus *l. c.* & Dn. D. Dreierus *in Contr. que nobis*  
*cum Pontific. intercedunt.* §. 78.

§. 78. Ad VI. Resp. De Creatione non unam esse sententiam. Sunt qui putant, creationem nihil esse aliud, quam actum voluntatis Dei intellectus scientiâ practicâ directum, quâ præscribitur hoc vel illud esse volendum ut sit, quæ sanè sententia suis rationibus non destituitur. Alii verò putant creationem esse actionem Dei transeuntem. Si priorem amplectaris sententiam, tum creatio erit substantia, cum sit actio Dei immanens, adeoq; nec aliquid ab essentiâ divinâ distinctum. Unde frustra nobis objicitur. Si verò posteriorem amplectaris sententiam, fatemur eam esse accidens, sed negamus eam non esse in subjecto. Est enim utique in termino suo i. e. eo quod per eam producitur. *Dicitur*: Subjectum est prius accidente, terminus autem s. effectus productus non est prior creatione. Respondet Arriaga (q) duplex dari subjectum, aliud *inbætionis* quod verè causet formam sibi inhærentem, i. deoq; debet esse prius suâ formâ, sicut & quælibet alia sua causa. Aliud vero subjectum esse *adbætionis*, quod non causet formam, sed præcisè eam in se recipiat, & ab ea denominetur, nihilominus tamen formam, quæ in illo recipitur, pendere ab illo subjecto à posteriori, ita ut non possit conservari sine illo. Jam licet creatio non sit in subjecto priori modo, eam tamen esse in subjecto posteriori modo. Nos, ut clarior res evadat, Respondemus negando de ratione subjecti esse, ut sit prius accidente, sed putamus sufficere, si sustentet illud accidens, eâ quâ supra descriptum est ratione, s. prius eo sit s. minus, modò cum illo accidente, quo non prius est, simul sit. Neque enim ulla apparet ratio, cur subjectum non possit esse subjectum, si simul cum accidentibus sit & esse incipiat. Sane Adamus erat subjectum omnium suorum accidentium, licet non eis prior, sed simul cum eis esset.

§. 79. Ad VII. 1. negando Consequentiam Majoris: Non sanè statim quod non est de essentiâ rei ab eâ separari potest; sæpe enim id quod non est de essentiâ rei à re non differt realiter, adeoq; à re non potest separari, nisi velis statuere rem à seipsâ posse separari. Sic divisibilitas non est de essentiâ quantitatis, non tamen ab eâ separari potest. 2. negamus

H

an-

(q) disp. 9.  
Phys. sect.  
4. subs. 4.  
n. 58.

(r) disp.  
37. Met.  
sect. 2.  
n. 4.

antecedens quod *τὸ inesse* non sit de essentiâ accidentis. Suarez certè fatetur cum aliis Pontificiis (r) *non posse naturali ratione sufficienter probari, non repugnare ut accidens separatim conservetur à subjecto.* Ex divinâ igitur revelatione probandum erit, quod quomodo ab eis præstetur, cuius patebit, qui Theologorum nostrorum scripta inspexerit. Examinabimus tamen rationes, quæ pro antecedentis probatione afferuntur. Ad igitur, quâ Bellarminus id ex Aristotele probare conatur, Respondemus Aristotelem l. c. non distinguere essentiâ ab existienciâ. Est enim Philosophus inibi in eo, ut distinguat intellectum à sensu, quod ut obtineat, dicit quod aliud sit magnitudo, aliud verò esse magnitudinis, quod aliud sit aqua, & aliud esse aquæ h. e. quod aliud sit magnitudo i. e. ipsum compositum ex quidditate s. forma & subjecto s. materiâ intelligibili, aliud vero esse magnitudinis i. e. forma magnitudinis, it. quod aliud sit aqua i. e. concretum ex materiâ & formâ aquæ, quod sensu usurpatur, aliud vero esse aquæ i. e. quidditas s. forma aquæ, ut Themistius h. l. explicat. His præmissis Philosophus differentiam inter sensum & intellectum ex parte objecti in hoc constituit, quod si aquam totam i. e. concretum ex materiâ & formâ vestiges, sufficiat sola vis sensus & multò magis ejus comes affeclaque imaginatio: Si vero ipsum esse aquæ i. e. formam aquæ explores, alia facultas animæ adhibendâ sit nempe intellectus. Non igitur Aristoteles l. c. existienciâ ab essentiâ, sed formam à toto concreto ex materiâ & formâ distinguit. Sed posito Philosophum existienciâ ab essentiâ ibi distinguere, nondum tamen sequitur, quod existiencia non sit de essentiâ, uti in responsione ad ultimam rationem ostendemus.

§. 80. Ad secundum locum à Bellarmino allatum & 1. Particulam *solus* in Philosopho non extare, sed de suo Bellarminus addidisse, (2) dicimus Philosophum per sonum & colorem ibi non intelligere mera & nuda accidentia, sed corpus colore & sono præditum. Refutat enim Aristoteles eos, qui dicebant vacuum esse in quo non est corpus tangibile, & querit quid dicendum sit, si in eo sit color & sonus, non quidem.



dem sine subjecto sed cum subjecto, an spacium in quo est tale corpus vacuum dici posset? id autem dici posse negat, vitiosam igitur esse datam ab illis vacui definitionem. Per colorem & sonum ergo intelligit corpus colore & sono præditum. Hinc & Themistius id quod Philosophus colorem & sonum dixerat *corpus visibile* vocat. *Non est impossibilis hypothesis* (inquit Philoponus ad b.l.) *cæleste enim corpus tale est, coloratur enim & sonum efficit, secundum Pythagoreos, dum movetur, gravitatem autem & levitatem non habet.* Simplicius quoque ad b. l: *Si aër, inquit, quem vacuum dicunt, accipiat colorem & sonum, aut aliam sensibilem qualitatem, que tactu percipiuntur, utrum adhuc manet vacuum, an non?*

§.81. Ad 3. quod Soncinatis est, Respondet Javellus neg. Minorem, quod accidens si quidem concipiatur ut accidens possit concipi absq; inhærentiâ. Ad ratione dicit, quod Mathematico non abstrahat nisi à subjecto sensibili, quod dicitur materia sensibilis, non autem à subjecto seu à materiâ intelligibili, ut pateat §. Met. 1. 15. & hoc sufficere mathematico. Considerare enim accidens ut respicit materiam sensibilem seu naturalem ad Physicam spectare. Hanc vero responsionem Aemilius Acerbus (s) *frivolam esse* putat, quoniam subjectum intellectuale Mathematici est ipsa quantitas, in qua considerat ejus species, ut insinuet Aristoteles XI. Met. c. 1. & qu. 1. 12. Met. t. 44. Suarez (t) præter hanc responsionem addit, Mathematicum non considerare expresse habitudinem ad subjectum, sed valde implicite quia non considerat essentiam quantitatis, sed solum proprietates & proportionales ac figuras, quæ ex quantitatis extensione oriuntur, ad quas impertinens sit quod quantitas concipiatur ut forma inhærens subjecto, vel ipsum quantum extensum, in quo sunt partes, superficies ac lineæ. Alii Respondent distinguendo *inter materiam ex qua & in qua.* *Materia ex qua* est id ex quo aliquid fit cum insit. *Materia autem in qua* est subjectum, in quo aliquid recipitur. Quando igitur dicitur Mathematicum abstrahere à materiâ, intelligi hoc de materiâ ex qua, non verò de materiâ in qua vel circa quam. Nos, ut nihil dicamus, quosdam

etiam eruditissimos, inter quos est Albertin<sup>9</sup>, Heerbord & Ar-  
riaga, rationibus non adeo contemnendis adductos statuere,  
quantitatem non esse accidens sed ipsam substantiam corpo-  
ream, Respondemus, aliud esse Mathematicum considerare  
quantitatem per abstractionem ab omni subiecto, aliud vero  
eum concipere quantitatem absque inhaerentiâ. Prius con-  
cedimus, posterius verò negamus. Neque enim posterius hoc  
ex priore illo ullo modo sequitur. Considerare enim quanti-  
tatem per abstractionem ab omni subiecto, est illud conside-  
rare quatenus in suâ naturâ & ratione formali subiectum  
non includit. v.g. Spiritus consideratur per abstractionem à  
materiâ, quatenus in suâ naturâ & ratione formali mate-  
riam non includit. Jam verò optimè aliquid possumus cogno-  
scere cum inhaerentiâ in subiecto, ut tamen subiectum in suâ  
naturâ & ratione formali non involvat. Sicut Metaphysicus  
considerat accidens ut inhaerens subiecto, & tamen conside-  
rat illud secundum communem sententiam per abstractio-  
nem à subiecto. Ratio est, quia licet subiecti in conceptu ac-  
cidentis fiat mentio, non tamen subiectum in suâ naturâ &  
ratione formali includit, ita quidem ut sit pars naturæ ejus.  
adeoq; accidens, licet in conceptu ejus mentio fiat subiecti,  
tamen est abstractum à subiecto, quia subiectum in suâ naturâ  
& ratione formali non includit. Quod verò subiectum in defi-  
nitione accidentis ponitur, id non ideo fit quasi ejus sit diffe-  
rentia, adeoq; ad essentiam accidentis spectet, ut Crell. *part.*  
*prop. l. 1. c. 10.* existimat, sed id fit propter respectum & habitu-  
dinem accidentis, quam naturâ suâ ad subiectum dicit, quæq;  
ejus est differentia. Quia enim habitudo illa non potest expli-  
cari nisi mentio fiat subiecti, ideo in definitionibus ponitur.  
Non omnia autem quæ definitionem ingrediuntur sunt de  
essentiâ, ut si quis definiat novem, quod sit uno minus quàm  
decem, decem non erunt de essentiâ ipsorum novem. Quo  
exemplo utitur Aristoteles *II. Elench. c. VI.* Ratio est quia non  
sunt adeo strictè & rigorosè sic dictæ definitiones, quæ ex ad-  
ditione fiunt, ut *l. 7. Met. c. 5.* docetur.

S. 82. Ad 4. quod etiam Soneinatis est, Respondemus  
cum

cum Sohnero (u) Sicut absoluta dupliciter dicuntur *vel abso-* (u) *adl.*  
*luta à Subjecto vel absoluta à termino*; Sic etiam *relata vel sunt ad 12. Met. c.*  
*subjectum relata vel ad terminum.* Jam si Major argumenti in- *1. p. m. 578.*  
telligitur de *relatis ad subjectum* vera est, neq; ullam video ab-  
surditatem vel falsitatem consequentis, omnia sc. accidentia  
esse *relata ad subjectum*. Si verò Major intelligatur de *relatis*  
ad terminum, negamus ejus consequentiam. Neque enim ex  
inhærentia accidentium sequitur *relatio ad terminum*, quæ  
prædicamentalis est, & quorundam saltem accidentium est  
propria, sed saltem *relatio ad subjectum*, quæ transcendentia  
est, quam omnibus accidentibus convenire lubentes fa-  
temur, neque ullam, quæ absurditatem evincat, videmus ra-  
tionem.

§. 83. Ad 5. quod Massi est, respondemus, quando di-  
citur *Essentiam non posse demonstrari, sensum non esse quasi*  
*non possit demonstrari*, id quod est *essentia rei illi* cujus est  
*essentia competere*, sed quod non possit demonstrari quod  
sit *ejus essentia*. Id quod Viortus (x) innuit, quando ait, (x) *l. 3. de*  
*Hoc solum in disputationem incidebat, an possit demonstrari e. g. ani-* *Demonst.*  
*mal rationis capax hominis definitionem essentialem esse, non autem* *c. 3.*  
*an animal rationis capax de homine dicatur, aliud enim est alicui con-*  
*venire, & aliud convenire ut definitio. Illud demonstratione aliquan-*  
*do cognoscitur, hoc verò nunquam.* Jam licet inhærentia de-  
monstretur de risibilitate, non tamen demonstratur, quod illa  
inhærentia sit risibilitatis essentia, seu de ejus essentia. Ne-  
gamus igitur, quod inhærentia tanquam essentia accidentis  
demonstretur eo modo, quo essentiam demonstrari posse  
Philosophi negant. Probatio nihil magis evincit, quam  
quod demonstrari possit, inhærentiam accidenti compete-  
re, non autem quod demonstratur, inhærentiam esse essen-  
tiam accidentis.

§. 84. Ad 6. quod Aemilii Acerbi est, Resp. nullum  
esse absurdum in cujuslibet accidentis definitione ponendum  
esse subjectum, imo potius essentialem illum respectum, quem  
accidens dicit ad subjectum, id requirere. Potest quidem  
accidens etiam in abstracto definiri v. g. *Albedo est color disgre-*  
*gans.*

*gans visum, implicite tamen involvitur respectus ille ad subje-*  
*ctum. Si enim ulterius quaeritur, quid sit color, dicitur, quod*  
*sit qualitas vel accidens Substantiae. Hinc bene observat*  
*(y) l. 7. tr. 1. c. 12.* Albertus (y) accidens dupliciter defini posse, aut ut spe-  
ciem subjectam, aut ut passionem, priori modo non accipi  
quidem Substantiam in ejus definitione, sed intelligi, poste-  
riori modo & accipi & intelligi. Quod attinet loca Philo-  
sophi ab Aemilio citata, in neutro Philosophus dicit, quod  
sola accidentia copulata seu conjuncta ita definiantur, ut in  
eorum definitione mentio fiat Subjecti. Etenim l. 6. Met. c.  
1. Philosophus nihil aliud dicit quam defintorum & ipsorum  
quid est quaedam ita esse ut simum, quaedam ut concavum.  
Haec duo autem in hoc differre quod simum quidem una ac-  
ceptum est cum materia. Est enim simum concavus nasus.  
Concavitas vero absque materia sensibili accipitur. Nil igitur  
aliud vult Philosophus, quam eorum quae definiuntur  
quaedam includere materiam sensibilem sicut simum, quaedam  
excludere sicut concavum. Sed quomodo inde colligi possit,  
sola accidentia copulata, quale est simum, subjecta in defini-  
tionem recipere non video. Sanè si quid sequitur, id saltem  
sequetur, sola haec subjectum sensibile in definitionem reci-  
pere, quod nobis non obstat, cum sic tamen adhuc bene in a-  
liorum accidentium definitione subjectum poni queat, licet  
non sit sensibile. Neque etiam altero loco l. 7. Met. c. 5. Philoso-  
phus dicit sola accidentia *συνδεδυασμένα* seu copulata esse de-  
finienda ex additione: Contrarium sanè paulò post eodem  
capite docet: *Patet*, inquit, *quod solius Substantiae definitio est.*  
*Si enim & ceterorum quoque predicamentorum necesse est ex additio-*  
*ne esse.* Quod vero Philosophus ab initio capituli dicit, non sim-  
plicium, sed copulatum definitionem necesse esse ex additione  
manifestare, quidam interpretes per *simplicia* intelligunt Substan-  
tias, quae unum simpliciter sunt & significant, ita Sohnerus *comm.*  
*ad b. l.* quae explicatione stante ex h. l. nihil decedit nostrae senten-  
tiae, utpote qui lubentes concedimus non Substantias sed sola ac-  
cidentia ex additione esse manifestanda. Quidam vero Interpre-  
tum per *τὰ ἀπλά* intelligunt *accidentia communia*, quibus certum  
sub.

subjectum non assignatur ut cavitas albedo, per conjuncta autem seu συνδεδυασμένα ea intelligunt accidentia, quæ proprium Subjectum connotant ut limitas. Quod si hæc interpretatio urgeatur, respondemus Philosophum non hoc velle, quasi accidentia simplicia non manifestari oporteat per additionem, alias enim Philosophus hoc ipso capite sibi contradiceret, ut patet ex verbis ejus paulò ante citatis, sed hoc vult, quod non simplicia sed conjuncta necessario manifestanda sint ex additione subjecti certi & determinati.

§. 85. Ad 7. quod itidem Aemilii Acerbi est, Resp. si hoc aliquid concluderet, probarem nullo negotio τὸ esse animal rationale non esse hominis essentiam, prius enim est esse animal, quam esse animal rationale, Sciendum igitur quod tota rei essentia duplici constet conceptu, communi & proprio. Sicut v. g. essentia hominis constat ex conceptu communi, qui est *animal*, & conceptu proprio, qui est τὸ *rationale*. Conceptus verò communis naturâ prior est conceptu proprio, cum ab eo non recipietur essendi consequentia v. g. naturâ prior est *animal* quàm τὸ *rationale*. Sic & essentia accidentis duplici constat conceptu, Communi, qui est τὸ *Ens*, & proprio qui est τὸ *esse in Subiecto*. Non igitur mirum est, conceptum illum communem accidentis esse priorem conceptu ejus proprio: Cum omnis rei conceptus communis sit naturâ prior conceptu proprio. Inde autem non sequitur, quia conceptus communis accidentis est prior conceptu ejus proprio. Ergo conceptus proprius non est de ejus essentia, sicuti non sequitur: Conceptus communis hominis nempe τὸ *animal* prior est conceptu ejus proprio τὸ *rationali*. E. Conceptus ejus proprius non est de ejus essentia: Cum enim dicitur quod essentia rei nihil sit prius, non sensus est quasi pars aliqua essentia non debeat esse prior alterâ, contrarium quippe ad oculos patet, sed quod extra conceptum ejus communem & proprium, per quem in esse suo constituitur, nihil detur prius. Ostendat Aemilius priorem aliquem conceptum proprium, per quem accidens in esse suo constituitur, præter eum qui à nobis statuitur, τὸ *esse sc. in Subiecto* & largiemur τὸ *esse in Subiecto* non esse de essentia accidentis.

§. 86. Ad 8. Resp. neg. Minorem, quod sc. in hærentia prius quid relinquat in ipso accidente. Probatio nulla est. Ecquid enim aliud

aliud est dicere Accidentis essentiam esse inhaerere subjecto, quam hanc esse naturam accidentis, ut virtute sese sustentandi destitutū exigat ut sit in alio tanquam in subjecto à quo sustentetur. Hæc sicuti sunt Synonyma, ita alterum altero nec prius nec posterius est. Ecquis non risu illum excipiet, qui dixerit τὸ esse animal rationale non esse essentiam hominis, cum eo detur prius nempe habere talem naturam, quæ sit corporea, animata sensu & ratione prædita?

§. 87. Ad ultimum Resp. Unum ab altero differre vel adæquatè vel inadæquatè ut includens & inclusum. Major igitur dupliciter potest intelligi 1. h. m. *Quicquid ab essentiâ differt inadæquatè non est pars essentia seu de essentiâ.* Sic falsa est Major. Similiter enim argumentarer. *Quicquid ab homine differt inadæquatè non est pars hominis.* Atqui animâ rationalis ab homine differt inadæquatè. E. Anima rationalis non est pars hominis. Conclusio est falsissima. Non Minor, Homo enim & anima rationalis differunt ut includens & inclusum, ut nemo negabit. E. Major erit falsa. 2. Major ita potest intelligi. *Quicquid differt adæquatè ab essentia illud non est pars essentia seu de essentia.* Sic concessâ maiore negatur Minor, quod existentia adæquatè differat ab essentiâ. Sanè nullam ego agnosco & video essentiam quæ non includat existentiam, adeoque si differunt essentia & existentia, different ut includens & inclusum & per consequens inadæquatè. Neq; moramur hîc illud inane Scholasticorum figmentum de essentia potentiali. Sicut enim Ens potentia non est ens, potentia calidum non est calidum, ita essentia quoque potentialis non est essentia: cum τὸ potentia alienans sit particula quæ vocis cui additur significationem tollit, ut non amplius significet quod antea significabat.

§. 88. Atque sic adhuc quidem stat inconcussa assertio nostra, quod accidens non possit existere sine Subjecto. Posset hîc adhuc disquiri, an accidentis detur accidens, plerique enim Pontificiorum putant solam quantitatem in Eucharistia esse sine Subjecto cætera autem accidentia esse in quantitate tanquam in Subjecto. Sed cum materia jam tum præter spem excreverit, & for-

san alio tempore de hoc disquirendi sese oblatura sit occasio, hinc telam abrumpo, dicens SOLI DEO  
GLORIAM.








mod  
qua

m el  
o ac

loso  
pri

ntin  
en re

I



B.I.G.

Farbkarte #13

*Q. D. B. V.*  
De

# ACCIDEN- TE PRÆDICA- MENTALI

INDULTU AMPLISSIMI SEN-  
TUS PHILOSOPHICI

In Illustri Academiâ Jenensi

*publicè disputabunt*

M. HENRICUS MATTHIAS

à Brose /  
Præses

ANDREAS MATTHIÆ, Oscaniensis

Respondens.

*Ad diem Maji*  
H. L. Q. C.

X 150 (6)

---

J E N A E,  
Typis JOHANNIS VVERTHERI,  
M. DC. LXIX.

